


MARCVS HIERONYMVS VIDA
CREMONEN. ALBAE EPISCOPVS

MARCI HIERONYMI
VIDÆ
CREMONENSIS
CANONICI REGULARIS LATERANENSIS
ALBÆ EPISCOPI
ORATIONES TRES
PRO CREMONENSIBUS
Quæ in Cominiana editione desiderantur.

EDITIO ACCURATISSIMA.



VENETIIS, MDCCLXIV.

TYPIS NOVELLIANIS.

SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.








LECTORI BENEVOLO

TYPOGRAPHUS.



Uas Marci Hieronymi VIDÆ Patritii Cremonensis, olim Canonici Regularis Lateranensis, Albæ demum Episcopi perelegantes Orationes tres, injuria temporum sibi propemodum ereptas hactenus doluerunt latinæ eloquentiæ amatores ingenui, has ab exemplaribus admodum raris, alterum quod Cremonæ anno eodem 1550, quo ex Civitatis suæ deputatione coram amplissimo Mediolanensis Senatus Ordine Marcus ipse Hieronymus

VIDA oۢ ottuagenarius Vir de Religione, de Patria, de Litteris optime meritus, mense Quintili recitavit; alterum quod Parisiis anno 1562. prodiit fideliter sumptas, atque prælis meis nunc accuratissime cusas accipe, benigne Lector, totique Litterariæ reipublicæ de tam pretiosa sibi aucta suppellectili gratulare. (*)



NOI

(*) *Quo ad ea, quæ hoc nostro sæculo fuerunt in Vidam a* Justo Vicecomite, *& a* Carolo Antonio Tantio *typis evulgata, videatur anonyma* Epistola veri Amici *ad ipsum* Carolum Antonium Tantium *italico idiomate scripta, & a Josepho Mazzucchellio successore Malatestà Mediolani impressa anno 1760., cui Epistolæ, judicio a delectis Censoribus facto, Auctoris nomen subinde per pagellæ mantissam præfixum fuit sub hoc titulo* Difesa del P. D. Paolo Onofrio Branda, e di Monf. Marco Girolamo Vida, composta dal P. D. Giulio Maria Grandi Ch. Reg. di S. Paolo.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Marci Hieronymi Vidæ Cremonensis Canonici &c. Orationes tres*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Gio: Battista Novelli* Stampator di Venezia, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li *6.* Aprile 1764.

(Sebastian Zustinian Ref.
(Alvise Vallaresso Ref.
(Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a Carte 201. al num. 1154.

Davidde Marchesini Segretario.

Adi 8. Aprile 1764.
Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degli Essecutori contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segretario.

DEPUTATIO

CIVITATIS CREMONÆ

Ex Libro *Provisionum* anni 1549. fol. 65. qui in Archivo Cremonensi asservatur.

In Congregatione diei Martis, 21. Maii 1549. habita per Nobiles DD. Deputatos Regimini Civitatis Cremonæ, inter alia, sic fuit ordinatum.

Demum exposuit Dominus Bartholomeus Oxius, qualiter in lite, seu controversia occasione præcedentiæ vertente inter Cremonenses & Papienses, per quamplures literatos hujus Civitatis factæ fuerunt diversæ Scripturæ, & allegata jura in honorem, & gloriam hujus Civitatis contra dictos Papienses, quæ collectæ fuerunt, ut trasmittantur ad Reverendiss. Episcopum Albensem, cum quo de hoc factum fuit verbum nomine istius Magnif. Communitatis, ut ea reducat in Orationem elegantem in defensionem Patriæ. Qui obtulit libentissime laborare pro Patria, in nulloque deficere juxta vires ingenii sui; quæ Oratio, postquam facta fuerit, impressioni danda, ut cunctis innotescat, & super hoc dandas esse literas præfato Reverendiss. Episcopo cum ipsis Scripturis.

Ideo præfati Magnifici DD. Deputati ordinaverunt, & ordinant dictas omnes Scripturas transmittendas esse præfato Reverendissimo Episcopo Albensi cum literis Magnificæ Communitatis, ejus Reve-

rendissimam Dominationem rogando, ut dignetur, & velit facere, & componere, seu illas reducere in aliquam Orationem elegantem addendo, & diminuendo, mutando, & corrigendo prout sibi melius videbitur, & placuerit pro gloria, & honore hujus Civitatis, & postquam illam Orationem composuerit, ordinaverunt ut supra, quod imprimi debeat ad æternam rei memoriam, & ut omnibus clarius jura, honos, & gloria Civium Cremonensium elucescant, & cognoscantur, partito posito, & obtento per omnes &c.

Epistola Civitatis Cremonæ ad Episcopum Albensem Marcum Hieron. Vidam.

REVERENDISSIMO MONSIGNORE.

PEr la controversia tra la Città nostra, e Pavia della precedentia, sapendo quanto la S. V. Reverendissima ha a petto l'onore della Comune Patria, mandiamo con questa nostra, per Messo a posta, diverse Scritture, & primamente le ragioni dedotte in nome nostro nanti l'Eccellentiss. Senato di Milano, poi le ragioni de' Pavesi, finalmente diverse cose raccolte per alcuni in favor nostro; onde preghiamo sommamente V. S. Reverendiss. che si voglia degnare di veder il tutto, e ridurlo, come gli parerà, in una

elegante Orazione in defensione dell' onore della Palria, la quale poi intendiamo far imprimere, & esibirne copia a ciascuno di quel Senato, il quale pare, che voglia decidere questa Causa quanto più presto; nè vorressimo mancare dal canto nostro all' onor pubblico; & la maggior confidanza abbiamo in V. R. Signoria, che in ciò esponerà tutte le forze, & ingegno suo, & oltre gli altri obblighi, la Patria principalmente avrà questo a V. R. S., alla quale baciamo con debita riverenza la mano.

Da Cremona, alli 30. Maggio 1549.

Obbligatissimi Servitori
Li Presidenti
Al Governo di Cremona.

MARCI HIERONYMI VIDÆ

ORATIONES TRES

PRO CREMONENSIBUS

IN CONTENTIONE PRINCIPATUS

CUM PAPIENSIBUS

HABITÆ

Coram Excellentiſs. Mediolanenſi Senatu
Anno 1550. Menſe Quintili.

JACOBI ANTONII BEVILAQUÆ
EPISTOLA
AD JO: FRANCISCUM AFFAITATUM

Præfixa editioni Parisiensi anni 1562.

JOANNI FRANCISCO AFFAITATO
CO: PATRONO SUO

JACOBUS ANTONIUS BEVILAQUA
S. D.


Mor, quo Patriam meam semper prosecutus sum, is fuit, ut quamvis ab illa decem annos abfuerim, illius tamen nunquam immemor extiterim, quæ mihi quoque in memoriam redegit tempus illud, quo JO. CAROLUM AFFAITATUM patrem tuum nobilissimum, ac optimum virum, quo parente tu maxime dignus es, & amare, & colere cœpi. Nec minori observantia te amplexus sum; id quod, & libenter testatus fuissem re ipsa;

quan-

quando aliqua occasio mihi sese obtulisset;, quæ cum mihi expectatione tardior daretur non parum animo angebar. Nam cum utrisque deberem, nec me hoc tanto ære alieno liberarem, indignus videbar, qui talem, tantumque patrem observaverim, bonitatisque paternæ hæredem filium colerem hac tam nobilis, antiquæve familiæ amicitia. Sed ecce cum hæc mecum cogitarem, ad Impressores Lutetiæ Parisiorum (illic enim commorabar) me confero, animi causa oblectandi. Dum illic multa lectu dignissima imprimerentur, & inter hæc Cremonensium hæ ACTIONES *denuo luci dabantur. Quo dulcissimo nomine commotus, cum quia videbam ab omnibus doctis, qui tum illic aderant, summe laudari, tum quia Patriæ, nomen insculptum, & impressum erat, duxi illas edendas alicujus maximi viri patrocinio, & auspicio. Tu mihi præsto adfuisti, qui & hoc munere dignus, & Regis nostri Regum maximi, & optimi gratia decoratus, nominis tui splendore munus hoc amplificare potes. Huc accedit, quod scimus, & quanti apud Venetos illos Christianæ fidei optimos, & custo-*

sto-

ſtodes, & patronos ſis, quorum authoritas noſtrum hoc munus admodum decorabit; qui cognitis animi tui præclariſſimis dotibus, in novam ſocietatem, quam CALCIAM appellant, aſciverunt. Nec immerito; Sciunt enim quantum ſplendoris huic ſocietati nomine tuo ſis additurus. In quam cum primum acceptus, & illa præclara magnanimitatis tuæ ſigna, & munera reliquiſti, quæ Te, Patriamque noſtram admirabilem in omnia ſæcula reddiderunt. Nec hic teſtabor quantopere te omnes laudent, ac admirentur, jam divulgato tantæ liberalitatis tuæ nomine. Quod cum homines audiunt, PATER ille tuus munificus & liberalis ſuccurrit, qui olim Italorum frigore, fameque contabeſcentium multa millia a MESSII expugnatione abeuntium aluit ſua impenſa, ſingulisque multos denarios dedit, qui loco viatici eſſent in Patriam redeuntibus. Qua ſola liberalitate (taceo alias innumerabiles illius Viri virtutes) ſe magnanimum, ac generoſum Cremonenſem præſtitit, immortalemque famam comparavit. Quid enim hoc Nomine Cremonenſi, ac domo AFFAITATA dignius di-

dici potest? Ne te verborum longa serie diutius retineam, Librum hunc Tibi consecrabo, meque dedam, te etiam, atque etiam orans, ne ab eorum numero me segreges, qui te, & amant, & observant. Vale.


Parisiis, Kalen. Augusti, MDLXII.



CREMONENSIUM

ACTIO PRIMA.

Adversus Papienses in Controversia Principatus.



Bi quæso gentium sumus? quo me vertam, Patres? Hic locus mihi alias animo semper gratus, aspectuque jucundus nunc oculos meos valde offendit, qui quocumque inciderint, vident omnes homines in risum effusos: quæ novi hujus judicii nova forma? Videor hic mihi onus Ætna gravius sustinere, meque pertædet huc unquam pedem intulisse, ubi omnibus derisui esse conspicio tam nos, qui nihil commeruimus, quam adversarios nostros, qui soli sunt in culpa; tam in nos, quam in eos conversi utrosque oculis notant, rident mediusfidius vel ipsi hujus Curiæ parietes, neque me mea fefellit opinio, initio cum hanc caussam mihi a meis Civibus delatam susciperem. Sciebam equidem hanc vicinis Civitatibus allaturam nostri irridendi facultatem. Sciunt ipsi quam in-

invitus, ægreque suæ, ac totius civitatis voluntati acquieverim, non quod homo Cremonensis defugerem Papiensium congressum, & certamen vocantium in quæstionem, & controversiam rem, quæ nullam habet dubitationem, & contentione non magnopere dignam, Cremonensium ne Civitas an Papiensium sit præstantior, cum maxime adversarios facile vinci posse non ignorarem: verum me multum, Patres, ab hac actione retrahebat, ne gravitatem civitatis nostræ, quæ semper frugi habita est, conferrem cum levitate eorum, qui ex Papiensibus has turbas tam alieno tempore commorunt; neve necessariam defensionem nostram opponerem eorum inani, ac supervacuæ provocationi, meque, ac civitatem meam sociorum, ac totius vicinitatis irrisui exponerem; cum primo aspectu, & specie ipsa hæ contentiones inanes videantur, & esse hominum otio nimis abundantium, cum non de potentatu, sed de principatu tantum agatur; quod aliqui ex iis, qui habiti sunt sapientes, inventi sint, qui universum terrarum orbem haberent pro domicilio, communique omnium gentium municipio. Non possum negare, Judices, rem magis gravem, vestrisque auribus, & hoc loco magis dignam in quæstionem venire potuisse, fateorque hic non agi de fortunis totius Europæ, neque de Italiæ, aut utriusque Civitatis libertate, ac salute, de liberis, de focis, laribus, atque aris, neque in discrimen venire, utra Civitas alteri præscribat, imperetve; concedoque hanc disceptationem facile potuisse, aut potius debuisse omitti, non quod nesciam ejusmodi [illegible] con-



contentiones non modo inter præclara municipia, ſed etiam inter maximas provincias, regna etiam quandoque ampliſſima extitiſſe, eaſque præſtantiſſimis Imperatoribus diſceptatoribus dijudicatas fuiſſe, & ſuum cuique locum, gradum, ac dignitatem attributam, prælataſque ſemper fuiſſe eas Civitates, gentes, ac nationes, quæ aliis dignitate præſtarent, cum certamen honoris plerumque a virtute proficiſcatur. Sit ſane vero res ut libet, ſitque quæſtio plane de nugis, ut riſus veſter, ac totius curiæ mihi declarare videtur. Soli tamen irridendi, accuſandique ſunt adverſarii, omniſque in eis culpa reſidet, qui negotii credo inopia, primi, inepte ſane, tam alienis temporibus huic controverſiæ initium fecere, qui, inquam, hoc tempore nos de honoris, ac dignitatis poſſeſſione antiquiſſima, in qua ſemper fuimus, neque vi quidem, neque clam, neque precario, ambitioſe dejicere adorti ſunt, nec verentur Civitati noſtræ præclariſſimæ Romanorum coloniæ ſuam qualemcumque conferre, & etiam, ſi diis placet, præferre, Papiam dico, ne forte, ſi qui adſunt exteri, & peregrini, putent me de aliqua ampliſſima, atque opulentiſſima urbe loqui, cui iſti exæquari contendant Cremonam oportere, plenam dignitatis Civitatem, talemque, qualem vos ipſi optime noſtis. Quæ tandem igitur ambitio, aut levitas populi Cremonenſis videri debet, quem neceſſitas in hanc actionem detruſit? cogimur adverſus eos, qui noſtram dignitatem, atque exiſtimationem inſolentia labefactare, atque in diſcrimen adducere conantur, nos tueri, enitique, ut

quem nobis ſtatum, ac dignitatis locum majores noſtri præſtantiſſimi viri velut optimam hæreditatem diu collectam reliquerunt, nos ſummis opibus, atque omnibus ſtudiis fortiter dimicando retineamus, neque oſcitantes ſilentio patiamur nos de poſſeſſione honoris, qui ſemper eſt habitus noſtræ Civitati, ab iſtis deripi, atque avelli. Nullos hominum uſquam gentium eſſe puto, tam deſpicientia rerum humanarum inſignes, ac ſingulares, qui honorem ſuum, ac dignitatem cum tueri poſſint, contemnant. Si qui vero hic ſunt, qui, nobis provocatis, laceſſitiſque ſæpius, cenſeant ſatius fuiſſe ab inanibus iſtis contentionibus abſtinere, agunt hi quidem nobiſcum ſevere nimium, nimis graviter, nimis priſce: ad hunc gradum philoſophiæ, fateor, populus Cremonenſis nondum pervenit. Sed merito tota Civitas erexit ſe penitus in defendenda retinendaque dignitate ſua conſentiens, certa non pati ullo unquam tempore ſe a Papienſibus anteiri, neque tantum unquam dedecus Cremonenſi nomini imprimi, atque inuri, neque huic cauſſæ, aut tempori indormire, &, quemadmodum olim Scytharum genti non multo poſt orbem conditum adverſus Aegyptios provocantes, dum utraque natio de antiquitate generis decertaret, cauſſam dicere licuit, itidem ſibi apud nos æquum fore ſe defendere arbitratur, quod olim duæ principes Græciæ civitates, Spartæ, atque Athenæ inter ſe dimicantes, & aliæ quamplurimæ fecerunt tanta contentione, ac ſi in eo poſitæ fuiſſent omnes utrarumque fortunæ. Verum hic vos ipſi, Patres, præclare Civitatem no-

nostram omni ambitionis, ac levitatis suspicione liberare potestis apud hos, qui nos audiunt, & culpam hanc omnem in adversarios transferre. Nemo vestrum, qui in Consilio adestis, non meminit, quomodo ab initio se habeat res, hujusque disceptationis, & caussæ vos ipsos nobis esse auctores, vos ipsi, inquam, [scitis enim] Cremonenses non modo invitastis auctoritate vestra, ut ad levissima Papiensium postulata responderent, verum etiam Senatusconsulto vestro, literisque Cæsaris nomine conscriptis ad hujus caussæ defensionem impulistis; vos ipsi hanc quæstionem constituistis; hujus consilii te maxime auctorem fuisse ferunt, Jacobe Philippe Sacce, qui huic Collegio præes, & judicio præsides, & a te, ut sapienter cætera, id sapientissime factum credimus, ut tanta controversia, quæ nullo pacto sopiri potuit, judicio extingueretur, quod propter eos, qui frequentia sua ornant consessum vestrum, dictum volo; nos non tam libenter, quam necessario in hoc certamen descendimus. At vero, ut nos a culpa omnino esse sejunctos non tantum verbis, ac testibus evincamus, verum etiam re ipsa hac luce clarius ostendamus, cives mei rectis sensibus euntes mihi mandarunt, re, causaque integra, ut æquissimam conditionem Papiensibus proponerem, quam si sequantur, non recusamus, quo minus secundum eos lis detur. Antiquissima sententia est, Patres, non esse æquum aliquem in contentionem honoris, ac dignitatis venire cum eo, a quo officiis superari æquissimo animo patitur. Si Papienses volunt nobis adæ-

quari in pendendis vectigalibus, tantumque, quantum Cremonenses Cæsari, ac Reipub. pensitare, nec recusant nobis pares esse in extraordinariis oneribus subeundis, cum duris, formidolosisque temporibus ex privatorum pecuniis ærarii angustiis est subveniendum, pecuniæque omnibus provinciæ municipiis, ac coloniis æquabiliter pro cujusque censu, ac fortunis imperantur, non ultra pugnamus, nec recusamus eis honore, ac dignitate exæquari: hanc conditionem æquissimam si accipiunt, caussa dicta est, magis re, quam Oratione defensa, nec ulterius progrediemur. Quid hæretis, Papienses? agite, conficite rem sine controversia. Quid dissimulatis? Quid tergiversamini? Quid vos horsum illorsum torquetis? ex æquo, & bono hoc totum judicium transigi potest, id efficite, & me totum ad vos traducetis, uno verbo facile potestis & nos, & vosmetipsos otiosos reddere, atque occupatissimos Judices hac molestia liberare; videte quam facili cum adversario pugnetis. Accipitis ne conditionem? eja vero accersite, adducite fidejussores, prædes date, aut sponsores, qui nomina faciant; stipulemur, restipulemurque; conscribantur conventa publicis literis, concipiantur verba Decreti ab hoc Sanctissimo Senatu. Alterum è duobus honeste non potestis recusare, aut nos officio anteite, aut impares dignitate nobis cedite; nihil certe tertium esse posse nemo non videt. Quod quidem animadvertit olim vir acutissimus Franc. Taberna rerum extraordinariarum totius provinciæ disceptator, qui tibi, Gonzaga Ferdinande præclarissime, in ad-

ventu

ventu Philippi Hispanorum Regis, hac ipsa de caussa turbantibus omnia Papiensibus, ac prope tumultuantibus percunctanti, utrinam anteponendi essent, nulla interposita ad cogitandum mora, ut vir in jure Civili valde exercitatus, statim respondisse dicitur, eam Civitatem omnino præferendam, quæ magis censa esset, quæve grandiorem pecuniam in ærarium referret, tum ex vectigalibus, qui nervi sunt imperii, tum ex pensitatione extraordinaria, cum ἐπικεφάλια provinciæ imponuntur. In manu vestra est, Papienses, si vos tanta ambitio stimulat, adeoque honoris speciosa imagine ducimini, voti compotes fieri; eja agite parvo negotio principem locum arripite; invadite nobis ultro concedentibus in dignitatis nostræ possessionem; caussa nostra, ut libet, hac conditione estote reges, vel saltem, quod sæpe jactare soletis, tetrarchæ, atque dynastæ; per nos etiam Mediolanensium Civitati, a quo vestra temeritas parum abest, vestram urbem regiam anteferte; quid ambigitis? quid cunctamini? quid agitis? quid fit? amittetis ne socordia vestra talem, ac tantam negotii benegerendi occasionem? huic ne tempori tam commodo, atque opportuno indormietis? expergiscimini tandem, hic viri estote; cavete ne vos ulterius progredientes eo temere demittatis, unde postea non liceat regredi; cogitate, atque impensius consulite, an hæ contentiones sint vobis ex usu; ita res potius inter nos transigatur, quam demus sermonem, & risum vicinitati; hic terminus esto nostrarum contentionum. Ut video, Judices, erubescunt adversarii,

 re-

reformidantque oblatum ultro a nobis honorem, quem modo nobis invitis præripere tantopere connitebantur. Intelligo, natura ſæpe fit, ut quæ optamus, cum nobis negantur, ea ardentius cupiamus; cum vero eadem obvia ſunt, atque oblata, tanquam vilia, ac vulgo patentia deſpiciamus quadam quaſi ſatietate, ac faſtidio affecti. Jam illos piget ambitionis, ac temeritatis; jam moniti agnoſcunt, quam temerarie concupierint id, quod ſi aſſecuti fuiſſent, eſſet potius ſibi oneri, quam honori; eos tandem pœnitet erroris, ſuamque amentiam, ſi minus verbis, ſaltem re ipſa deprecantur.

Videtis eos, quæ negata totis ſenſibus concupierant, eadem facta eis adipiſcendi poteſtate, ac copia reſpuere, atque conceſſa averſari, aut adeo perturbati ſunt, ut utrum præſtet non videant. Atqui ex eorum vultu, nutuque, & ſignificatione videor mihi intelligere, Papienſes cauſſam omnem, quominus propoſitam ſibi conditionem ſequantur, conferre velle in fortunæ, & temporum iniquitatem, & uti inopiæ, & egeſtatis excuſatione; nec cogitant homines parum conſiderati, eſſe portenti ſimillimum, ubi cum inopia conjuncta eſt arrogantia, ſuperbiaque invenitur egeſtati implicata. Capuam Romani ſapientiſſimi viri ferre non poterant, non tam ob nimias, & formidoloſas ejus opes, quam ob Capuanorum arrogantiam, qui licet alterius civitatis legibus parerent, ei tamen ſe magiſtratuum ſpecioſis nominibus adæquare nitebantur, & id propter veteres Capuam ſuperbiæ domicilium dixerunt. Quod quidem in

Capuanis magis ferendum erat, quod ea Civitas tunc adeo opulenta, adeoque varia copia rerum referta erat, ut altera Roma haberi poſſet: cum vero ſint opes veſtræ tenues admodum, atque infirmæ, ut vos metipſi pro cauſſa veſtra adducere videmini, quæ eſt iſta arrogantia, & ſuperbia petere vos anteferri illis civitatibus, quibus neque cenſu, neque dignitate, aut rerum geſtarum gloria, ut poſtea oſtendemus, vos adæquare poteſtis, quæ pro hujus imperii dignitate, ac gloria paratam ſemper pecuniam habent, quam ærario ſumminiſtrent, Cæſarique in ſumma difficultate nummaria largius ſubveniant? Credite mihi, opus eſt quæſito in primis iis, qui ambitioſe volunt videri lauti, atque aliis honoris ſpecie, & ſimulato ſplendore præferri ſtudent; contemnitur inopia, calcatur egeſtas, ſed hunc locum poſtea ſuo tempore fortius urgebimus. Decidi, Patres, a maxima ſpe, in quam jampridem adductus eram, pactionis, & compoſitionis, libenterque hoc ſubodioſum munus, aut potius onus, quod neceſſario ſuſceperam, ita tranſacta re, honeſtiſſima declinatione a me abjeciſſem, ſed ut video, longe me fefellit opinio, omnis ſpes ocii a me elapſa eſt, nihil hercle actum eſt, adverſariis conditionem a noſtris latam recuſantibus, mihique videor de ſpe dejectus quaſi decurſo ſpatio a calce ad carceres denuo revocari; excluſus igitur a portu, & profugio, fungar officio meo, ut potero. Verum antequam ad Cauſſam ingrediar, non poſſum non iterum præfari, quam inviti, quam nolentes, quam ægre noſtri Cives in hanc palæſtram de-

ſcenderint, quantavis adverſariorum intemperantia provocati, veſtraque, ut dixi, auctoritate confirmati, & Cæſaris ipſius imperio adacti atque compulſi, quod quidem magis dolenter, quam inimice citra omnem ſimultatem faciunt, vix dici poſſet, quam in amicitiis retinendis, conſervandiſque firmi, conſtanteſque noſtri ſemper fuerint, neque ad eas dirimendas omni vento impellantur. Vetus inter Cremonenſes, & Papienſes intercedit uſus, fuitque olim utraque Civitas plurimis, maximiſque beneficiis ultro, citroque datis, & acceptis, ut inter ſociorum populos decet, conjunctiſſima; atque uſque ad hoc tempus inter nos conſuetudines, amicitiaſque jungebamus ad priſcæ probitatis rationem, & ut beneficia in eos noſtra teſtata declarant, eorum calamitates nunquam duximus a nobis alienas. Omnibus vero officiis amicitiæ a nobis diligenter, ſancteque ſervatis, cum potius beneficiis, quam injuriis eis certandum eſſet, illi nulla noſtra culpa nobiſcum inimicitias ſuſcipiunt, dirimuntque veterem noſtram conjunctionem tot annorum conſuetudine confirmatam, ac prope conſecratam, neſcio qua re inducti, niſi quorumdam hominum illius municipii certandi cupidorum levitate, atque audacia; non enim ad omnes hæc culpa pertinet, nihilque harum rerum factum eſt publico Civitatis conſilio, quinimmo qui apud eos ſunt ſanæ mentis, moleſte ferunt iſta ab audaciſſimis pernicioſiſſimiſque civibus ſuis moveri. Cives mei nihilominus moderati, & alta quadam mente præditi nolunt omnino quantacumque eorum temeritate, injuriiſque laceſſiti ab hu-

humanitate in agenda cauſſa deſciſcere, non tam ad laudem indipiſcendam, quam ad vitandam vituperationem animati; itaque me juſſerunt moderate, & humane, remiſſiuſque, quoad res patietur, ac citra ſimultatem, ſalvoque jure noſtræ veteris amicitiæ cauſſam dicere, nec illud municipium alioqui honeſtum in diſcrimen vocare, magiſque eorum maledictis reſpondere, quam eos noſtris laceſſere. Novimus ſane multos ejus municipii bonos, ac moderatos homines, honeſtaſque familias, quibus exploratum habemus, ut dixi, hanc inanem, planeque ſupervacaneam, ac plenam futilitatis controverſiam ſummopere diſplicere; verum apud illos, ut etiam vitio temporum in pleriſque aliis munitioribus municipiis fit, nunc regnant cives deterrimi, in principemque locum in Civitatem invaſere, atque omnia poſſunt; & id quidem hominum genus eſſe ſolet plerumque abjectum, egenum, litigioſum, improbum, ingenio malo, pravoque, qui aut rei ſuæ, aut negotii inopia ad rei communis gubernacula obrepunt, paulatimque decuriati, poſitique in aliquo numero ea, quæ ſunt municipii communia, domum ſuam rapaces avertunt in rem ſuam convertentes. Iſtos, ut aliqui vocant, veſpillones ſi quæſieris, omnibus horis in Decurionum aula reperias, donec ex egentiſſimis, & mendicis ad megnas opes perveniant; ab iis peſtibus Papiæ inſciente Civitate, mox etiam bonis reclamantibus civibus conflatam eſſe hanc ſeditionem ſine mente, ſine ratione, atque conſilio comperimus; ſeditionem dixi; quo enim alio nomine aptius appellem hanc

repen-

repentem insolitamque amborum populorum commotionem, atque discordiam? cum ambæ Civitates antea semper fuerint duo sub eodem capite concordissima membra. Sed videte, per Deum Immortalem, quam mihi difficultatem creet civium mearum moderatio, quantum eorum temperantia meam actionem debilitet, dum mihi certos fines, ac terminos præstituunt; lacessunt Papienses nos insolenter, atque inimice pugnandi cupidi, dum se se intolerantissime sine ratione efferunt: æquum erat nos eos quasi extra ripas redundantes coercere, & eorum superbiam, fastidium, atque arrogantiam retundere, & par pari, ut ajunt, referre; At nostri placatius, remissiusque me agere volunt, idque a me petunt, summeque contendunt, ne omnes ad unum Papienses oratione jugulem, sed eos tantum amice coarguam, quorum insania coorta est hæc quæstio, perinde ac si cum amicissimis agerent, nihil omnino me dicere volunt extra caussam, quod communiter ad ejus municipii alioqui honesti ignominiam redundet, quantumvis eorum maledictis provocati, ut hic non sit mihi tam quærenda copia, quam in dicendo modus: videtis quam mihi religionem iniiciant, quibus me vinculis illigent, intra quas carcerum angustias currere jubeant, quos inquam mihi cancellos circumdent; quin etiam, ut intimos meorum sensus vobis penitus aperiam, iccirco me potissimum ad hoc agendi munus elegerunt, non quod in nostra Civitate non sint quamplurimi, qui eloquentia, ac dicendi facultate me longe antecellant, sed quia animi mei quædam naturalis leni-

lenitas, ac moderatio usu eis semper nota, ac spectata fuit, nec quicquam a me tragicum, atque præfractum, quodve non sit moderatissimi, ac pacatissimi sensus, metuere, aut certe expectare possint. Ego equidem non discedam ab officio in tantæ rei dimicatione, enitarque, ne invisa sit, aut ingrata oratio nostra, mihique ita moderabor, ut & Civibus meis satisfactum sit, & adversariis minus doleat; quos extra hanc caussam benevolentia prosequimur; eos satis mihi fuerit ad sanitatem reducere; quod quidem me effecturum spero, si eos orationis lumine detractis alienis laciniis, & ambitiosis indumentis, quibus se falso ornant, denudavero, omnibusque, & etiam ipsis, qui, & quales sint palam ostendero: Si quod tamen interdum a me in agendo acute dictum parum commodum inconsulte exciderit, quod non tantum in paucos illos temerarios, qui nobis periculum creant, prolatum videri possit, sed totum municipium leviter resperserit, nullo pacto, civium meorum voluntati ascribant, neque mihi tamen fraudi esse velim, sed inconsiderantiæ meæ, atque imprudentiæ, aut potius errori attribuant, qui non potuerim omnia circumspectione assequi, & stadium currens interdum nimium, aut dexter, aut sinister offenderim in curriculi septa, atque in cancellos incurrerim. Quis, obsecro, est in medicina tam peritus, atque exercitatus artifex, qui, cum in corpore morboso aliquid est ejusmodi, quod nisi amputetur, vitiosum reliquo corpori noceat, adeo enucleate, adeo ad præscriptum secet, ut non aliqua parte ad vivum pene-

penetret, ſanaſque, & integras corporis partes non interdum acie perſtringat? nihil proferam acerbum auditu, nihil contumelioſe, nihil inimico animo, ut ea civitas, quicquid a me dictum fuerit, ſine offenſione in bonam partem accipere poſſit, niſi forte alterius Civitatis cum altera comparatio quippiam per ſe offenderit. Hujuſmodi enim collationes cum contentione in aliquorum animis odium generare ſolent. Alteram quoque difficultatem priore haud quaquam minorem mihi creat meorum civium moderatio, qui ſuper omnia mihi præſcripſere, ut de noſtræ Civitatis ſtatu, dignitate ſcilicet, virtute, rebus geſtis, atque fortunis, ideſt de noſtra mediocritate verba faciens modice quidem, timideque id facerem, atque omnino pauca dicerem, nequid ei arrogem, quod nobis invidiam apud hanc coronam conflare poſſit, ſed plura relinquerem in auditorum animis, qui utramque Civitatem optime norunt, cogitanda, itaque difficilem quandam temperantiam poſtulant. Sed quæ iſta eſt tam reſtricta præfinitio? hæc Oratoribus relinqui ſolent libera, & infinita, ut, ubi opus ſit, excurrere, ac ſpatiari poſſit Oratio. Qui, inquam quæſo, id a me fieri queat, cum Oratio tota in utriuſque municipii contentione, ac comparatione verſabitur? potero ne ſine ſceleris ſuſpicione ſuis laudibus defraudare eam Civitatem, quam nemo veſtrum, Patres, non novit ſplendore civium honeſtam, omnibus rebus ornatam, inſtructam, atque refertam? potero ne, inquam, hoc faciens non vereri, ne vos ipſi in aliquam ſuſpicionem inducamini,

mini, me ab adversariis, pretio, aut gratia labefactatum huic caussæ appositum fuisse prævaricatorem? Parendum est tamen communi Civium meorum sententiæ, decurrendumque per ea spatia, quæ mihi sunt præfinita; utar saltem eo temperamento, ut quicquid protulero, quod in laudem, & commendationem meorum redundet; illud adeo sit clarum, & omnibus notum, ut nullus arrogantiæ, aut jactantiæ locus esse possit: plus tamen innuam, quam dicam. Vestræ sapientiæ tunc erit, judices, animis vestris, vestra intelligentia plura comprehendere, quam mea Oratione explicatum fuerit. Quæ autem a me dicentur, boni consulatis, velim, memineritisque in omnibus Orationis nostræ partibus Cremonenses vestros nulla cupiditate inflammatos, nulla malevolentia, aut invidia suffusos in hoc certamen descendisse, neque a nobis adversarios lacessitos fuisse, sed ab illis negotium nobis nulla caussa exhiberi cæptum, tantumque nos de ornamentis nostris retinendis officio disputare, non studio litigare de augendis. Spero hodie vestris æquissimis studiis fretus efficiam, ut luce clarius, sublata omni nube videre possitis, quam Papienses, qui tam insolenter tot Reges, tot Tetrarchas, & Tyrannos jactare solent, sint nobis impares, quam longe sint inferiores. Convincam eos tum re ipsa, quam sub oculis vestris subjiciam, figamque in animis, tum locupletissimis argumentis, exploratisque rationibus, & vetustissimis historiis, idest incorruptis, & integris testibus, parumque eis proderit, quod compertum habeamus, attulisse in ju-

di-

dicium externi hominis eruditi quidem, atque disferti, quem multa mercede conduxere, paratam, ac meditatam orationem, cujus præstigiis nos de possessione dignitatis nostræ dejicere sperant. Nos autem freti vestra æquitate, caussæque confisi non adhibuimus peregrinam eloquentiam, sed simplicius agemus nostrate oratione contenti, qua nobis satisfactum erit, si rem in veritatis lucem protulerimus. Quod futurum haud equidem despero duce ratione, quæ mihi ex bona fide agenti semper præsto erit, & menti meæ clarissimum lumen præferet, quando necessitas; non libido me, meosque cives in hanc caussam detrusit, cum inducti jam nostra sponte essemus, ut multum de jure nostro decederemus, quo inter nos aliqua concordiæ ratio constitueretur. Vestram, Judices, virtutem, justitiam, fidem, integritatem hodierna dies ostendet in tam illustri, in tam ab omnibus expectata caussa, cum tanta præstantissimorum virorum frequentia, tanto præclarissimæ Provinciæ concursu, in oculis totius Italiæ agendum sit.

Quæ Cremonensibus sit ratio, & caussa cum Papiensibus, jam audistis Judices. Jam intelligitis a Papiensibus vocari in quæstionem, & controversiam Cremonensium dignitatem, esseque contentionem de loco, deque amplitudine, agi, inquam, inter utramque Civitatem de principatu. Si mihi caussa deesset, aut juri nostro diffiderem, omissis iis, quæ nobiscum faciunt, poteram Civitatem meam in gradu dignitatis suæ, ac statu tueri opposita longi temporis possessione, quam usu nostros legitime cepisse facile probare possem,

ut

ut agerem Prætoris interdicto, UTI POSSIDETIS, contra Papienses, qui nos omnibus viis conantur inde deturbare. Poteramus luculentissime omnium ætatum, temporum, ac Civitatum memoria usque in hanc diem probare, nos in perpetua stabili, ac constanti possessione, neque vi, neque clam, neque precario permansisse, atque post Mediolanenses inter Provinciæ Legatos nostris Legatis primas semper delatas fuisse in publicis sessionibus, tam in omnibus ludis ob publicam lætitiam indictis, quam in apparatissimis pompis in funere clarissimorum virorum celebratis. Possemus citare hujusce rei testem hanc ipsam Civitatem vestram, totam Provinciam, omnemque Vicinitatem, cum nulla contrariæ memoriæ queat esse satis explicata recordatio. Audebunt ne id contra hiscere adversarii? Non existimo, eos ita pudorem, & verecundiam deposuisse. Tametsi priusquam me audissent, nisi fint mihi primo litis ingressu, cum viderent caussam suam hærere, nescio quid voluisse dicere de possessione. Nam cum intelligerent nullum aditum ad se tuendum patere, consilium fugæ incertæ, ac periculosæ, ne dicam desperatæ capientes decreverant uti quodam diverticulo, si non certo, at saltem non nullo, ne ultro plane cedere viderentur. Et cum se omni aditu circumcludi conspicerent, ne qua effugere quirent, in hanc quasi cloacam per tubulos sese demittere cogitaverant.

Ajebant enim nescio quem recentem rerum scriptorem (Coriarium, si recte memini, nominant) qui Mediolanensium annales conscribit, attestari

in exequiis Joannis Galeacii Vicecomitis Mediolanensium Ducis inter Civitatum Legatos, qui ex tota Provincia convenerant ad comitandum, honestandumque funus, principem locum Papienses præ nostris tenuisse. Nunquam ego, ingenue fateor', Judices, legeram istos Annales, quos meo deinde jussu familiares mei ad me attulerunt. Nihil mihi longius fuit, quam exploratum habere, quanta esset Scriptoris dignitas, quodve scriptionis genus, ut deinde judicare possem, quanta ejus dictis fides, & auctoritas deberetur. Sumpsi librum in manus. Dii magni! horribilem, ac novam historiarum congeriem! ad primæ paginæ aspectum cohorrui: dum latine saltem scriptam historiam expecto, incido in verba, quorum usus vulgaris, ut a nutrice loqui ille didicerat, nec ea quidem valde bona. Visus sum mihi audire hominem loquentem ex eorum genere, qui ad nos ex vallis Tellinæ tabernaculis frequentes venire solent, ut se minuta mercedula nobis locent ad deferenda onera omnibus expositi. Pergo, ut possum, ulterius legendo, & vim mihimetipsi quodammodo affero. Dii immortales! quo stomacho, quanta nausea, neque enim illico pervenire potui ad historiæ locum, quem optabam; quoniam in fronte tam vasti, & immanis libri nullus se mihi index obtulit, qui me eo via quasi compendiaria perduceret. Pene risu mihi disrupta sunt latera, dum animadverto, qua dignitate, quanta tam rerum, quam verborum majestate scriptor iste impleat omnes numeros, quo ordine omnia digerat, atque distinguat, quamve exacte leges historiæ in scriben-

ſcribendo ſervarit, quam diligens ſit, & ſemper mirus in deſcribendis epulis, ut fideliter, ac religioſe ſingula fercula ſemper enumeret, ne unum quidem omittat uſque ad viliſſimi juſculi ſcutellam deſcendens, ut jam deſinamus demirari Simiæ Dodonææ improbitatem Græcis hiſtoriis mandatam fuiſſe. Non potui, fateor, durare, quouſque ad locum pervenirem. Legant, quibus eſt ferreus ſtomachus, quive hoc genere eloquentiæ delectantur. Nam quis eſt iſte Coriarius homo novus, recenſque ſcriptor, ut ejus dictis, aut ſcriptis opus ſit tantum fidei haberi? atqui dicent, ſcripſit annales: quaſi vero omnium annalibus debeatur fides. Quid ſi illi eſſent hominis novi, recentiſque ſcriptoris, quem plerique veſtrum, Judices, vidiſſe potuiſſetis iſtiuſmodi res ſcribentem? Quid ſi hominis idiotæ, illiterati, ſtupidi, omnia perverſe, præpoſtereque ſcribentis, ſine ulla arte, ſine uſu, ſine legibus, ſine ratione, in ſumma rerum omnium ignoratione verſantis, uſque eo, ut ſe ipſum quoque ignoraret? Quid ſi, ut breviter omnia complectar, eſſent ANNALES VOLUSI, & quæ ſequuntur apud lepidiſſimum Poetam? Ego equidem non plane, affirmo Coriarium iſtum talem eſſe; viderint tamen ipſi; ajo vero, ea, quæ iſte ſcripſit de illo funere, non ipſum præſentem ſpectaſſe cum nondum eſſet natus, ſed ab aliis audita retuliſſe, in quibus falli potuit, atque memoria labi, quod quidem licet ſuſpicari, ſi idem judicium adhibuit in indagandis explorandiſque rebus, quibus ipſe non interfuit, quod ad eaſdem ſcribendas attulit: ponit enim ſæpe poe-

tæ alicujus figmenta pro historia rerum gestarum, eisque fidem adjungit, ut Veneris adventum in Italiam cum toto Amorum comitatu, ostenditque se plane ignorare alias in poemate, alias in historia observandas esse leges. Quid? Nonne quoque fieri potuit, ut ea, quæ pertinent ad istas exequias, expiscatus fuerit ab aliquo Papiensi, qui piaculum esse non duxerit aliquid pro Patria mentiri? præsertim cum intelligam, eam Villam, in qua isti Annales confecti fuerunt, non multum disjungi ab agro Papiensi. Si ista Religio valet, Judices, ut cum primum quispiam historiam orditur, statim summa fides ei ab omnibus mortalibus debeatur, jam improbi homines, ut quantumvis longi temporis usucapiones in judiciis probare possint, pretio, & largitionibus inducent levissimum quemque nebulonem, ac Sycophantam ad scribendum annales, qua illi veluti religione consecrati summam illico auctoritatem assequantur in dandis testimoniis, quorum fidem sanctam esse oporteat.

Quod vero addunt Papienses nostris Legatis suos iterum prælatos fuisse in exequiis Francisci Sforciæ II. Mediolanen. Ducis, commentitium prorsum est, & plane falsum: nec nobis, si necesse esset, & ad nos spectaret probatio, deessent testes plurimi gravissimi, & integerrimi viri, qui eorum commentum refellere possent, attestarique primas nostris Legatis tributas fuisse tam in illius Principis pompa, quam in Alfonsi Avali Vastii exequiis, quæ summo apparatu, atque magnificentia celebratæ fuerunt ad omnem ostentationem.

nem. Evinceremus item in adventu Cæſaris habitam fuiſſe Mediolani dignitatis noſtræ rationem, noſtroſque Papienſium Legatis honore anteceſſiſſe. Conſtat item inter ſimulacra Civitatum totius Provinciæ, quæ certo ordine collocari ſolent in fornicibus ad ipſius Provinciæ oſtentandas opes, atque potentiam extructis magnificentia pluſquam regia, effigiem noſtræ Civitatis prælatam fuiſſe Papienſi ſimulacro, ut major honos haberetur ei Civitati, cui maxime debebatur. Quæ etiam ratio haberi ſolita eſt ab Imperatoribus ipſis, cum Senatus datur Civitatum Legatis, cui rei contrarium nunquam adverſarii probare poterunt. Niſi, Judices, civitas noſtra jus ſuum, quo undique circumvallata eſt, ſolidum, firmum, atque in re ipſa infixum haberet, poterat nullo negotio ſe tueri in dignitatis ſuæ poſſeſſione, petereque a vobis, ut veſtro interdicto interpoſito, uti poſſidemus, ita poſſideremus. Verum cum nobis ſe ultro offerat via ſimplex, lata, aperta, directa, atque perpetua, qua ad noſtrum facile pervenire poſſimus, non eſt quod occultas, inuſitatas, & minus tritas quaſdam ſemitas, anguſtas, ſpinoſas, ac tortuoſas exquirere velimus. Qui metuunt, & omnia ſuſpecta habent, ut fugitivi, & qui decoxerunt creditoribus judicum ſententiis addicti, ne capiantur, dedanturque, omnia diverticula, omnes flexiones indagare ſolent, omnes quærere ſolitudines, omnes Mæandros, atque Euripos perſequi, ut viſi ſunt nunc facere velle Papienſes, quibus omnia in cauſſa deſunt, præter frigidas quaſdam, & jejunas calumnias. Iis igitur mirandum in mo-

dum arridet illa subtilis, & exquisita juris cautio, ac formula, qua licet fundi possessionem usurpare manu surculum, vel de via defringendo, nec considerant, ut quis in firma, ac stabili honoris, & dignitatis, primarumque partium possessione esse dicatur, quanto temporis spatio, quotiesve opus sit eum prælatum fuisse illis, quibus dignitate vult præstare. Nec magnopere distinguunt jus illud, quod corporatum dicitur, ab illo, quod est sine corpore, putantque statim vicisse, si vel tenuiter probare queant semel suos Legatos ante nostros auditos ab Imperatore nihil ista animadvertente, & majoribus negotiis occupato, aut ab Imperatoris ipsius statore istarum contentionum ignaro, & fortasse etiam largitionibus corrupto, priore loco semel citatos fuisse: etiam rogo si rem furtivam possiderent contra Legem Attiniam, neque adesset bona fides? etiam si vis, aut dolus intervenisset? etiam si talis possessio esset plane contra leges, & rationi adversaretur, ut minor majori antecederet? Non possum adduci, ut credam adversarios in sententia perstaturos, ut audeant nobiscum possessionis nomine agere, ne continuo tam insignis mendacii turpiter convincantur. Si alterutri partium in hac causa actio possessionis convenit, certe nostris non posset negari, qui semper, ut præcellentes honore, & dignitate, prælati fuerunt in omnibus pompis, & publicis sessionibus, si adversarii sapiunt, non conjicient se in has juris tam incerti, tam tortuosi, tam multiplicis angustias. Quod si tandem fecerint, ut etiam vera forent, quæ ementiuntur, tale esset, ac si quis in

in via publica pallium mihi detraxiſſet, ſtatimque a me conventus, & in jus vocatus excipiat ſe poſſidere, poſtuletque a prætore, ut ex edicto ſibi liceat pallium retinere: exiſtimas ne illum prætor tuebitur in iſtiuſmodi poſſeſſione? an potius, ut furem, in vincula conjectum ſupplicio afficiendum judicabit? non eſt meum adverſario præſcribere quemadmodum in cauſsa ab eo agi velim: Si ſe tamen Papienſes in has difficultates detruſerint, cito intelligent ad quos ſcopulos res ſuas appulerint. Nos vero in hac dimicatione, recta, ac certa tendamus via, & cum adverſariis, præſertim in tam bona cauſsa, non ex callido, & verſuto jure, ſed ex æquo, & bono agamus, dummodo ob id nobis non obſtruatur via, quo minus quoque, ſi uſus fuerit, quacumque illi effugerint, poſſimus perſequi. Cum præſertim cauſsa agatur apud eos Judices, qui præciſis quibuſdam tenuibus, ac ſupervacaneis controverſiarum, aut potius calumniarum ramuſculis queunt quæſtionem in re fundatam conſtituere, & quacumque velint, actionem dare; cum vel prætoriis exceptionibus multæ excludi poſſint actiones. Hi vero, ad quos omnis fere Cæſaris poteſtas ab ipſo Cæſare translata fuit, aut ſaltem cum eis communicata, multo maxime poſſunt rejectis inanibus, ac ſupervacu's verborum diſceptationibus (ſpolii actionem vocant) quæ hic nullum uſum habent, ad rem quæſtionem omnem revocare. Quid eſt enim opus circuitione, atque anfractu potius, quam directo, cum ſine re nulla verbi vis eſſe poſſit, & eos Judices habeamus, quorum ſtudium ſemper fuit,

ut non malint conſtituere juris actiones, quam tollere controverſias?

Diſquiramus igitur, quæ res efficere poſſint, ut Civitates aliæ aliis dignitate præcellant, ut Papiam cum Cremona conferentes videamus utra ſit præſtantior. Hoc erit omiſſis crebris quibuſdam quaſi levis armaturæ excurſionibus, velitationibuſque rem cominus aggredi, & in arcem cauſsæ invadere. Quæ Civitates ſtudent aliis excellere, debent aliquam præſtantiæ cauſsam afferre, aut Vetuſtatem, aut Nobilitatem originis, aut certe majores Opes, aut Civium ampliorem Numerum, aut populi Virtutem, quæ latiſſime patet, & unde omnium recte factorum proficiſcitur gloria, vel Libertatem, vel optimam Legum Inſtitutionem; hæc enim ſeptem reperio, propter quæ urbes aliæ aliis præſtare poſſint. De libertate autem nihil mihi magnopere elaborandum, cum utrumque municipium, aut plane liberum ſit, aut pari conditione unius imperio pareat; neque enim nos unquam dicam ſervire, cum tam lenis, ac mitis imperii æquiſſimis Legibus obtemperemus. Tametſi reliqua ſex arbitror eſſe perſpicua, omnibuſque palam eſſe, quantum in cunctis Cremonenſes emineant, præferendique ſint Papienſibus, quantumve ea omnia in nobis ſint potiora, nihilominus mihi dicendum eſt ſigillatim de omnibus, & ordine certo diſſerendum: Dabo operam, ut, quoad res patietur, minimo cum faſtidio veſtro id fiat. Ac de amborum urbium quidem antiquitate prius, quæ in primis ei Civitati eſt neceſſaria, quæ alteri vult præſtare. Illud enim municipium habitum fuit a

Ma-

Majoribus nostris nobile, quod antiquum: quod quidem non tantum in urbibus, aut oppidis servatur, sed etiam in plerisque aliis rebus constans est, ac perpetuum, ut quod antiquius probatur, id potius, meliusque, ac sanctius esse comprobetur. Quamobrem etiam in communi loquendi usu usurpamus, ut cum aliquid nobis carum esse innuere velimus, nihil eo nobis antiquius, sanctiusque esse dicamus. Magnam profecto vim vetustatis esse, antiquitatisve, nemo est qui ignoret, majoremque auctoritatem, & fidem veteribus, & priscis, ut ajunt, viris haberi nemo ibit inficias; quod quidem religiose semper servatum fuit apud Lacedemonios, quorum spectata, & nobilitata virtus semper fuit: apud nos etiam videmus non modo Templa, ac Delubra, verum etiam sepulcra semper fieri vetustate sanctiora. Quid? nonne homines quoque seniores semper majori inter alios ejusdem conditionis, & status honore digni habentur? quod frequentissime Homerus pictor diligens, & naturæ fictor innuit. Ac de municipiis quidem, quod quæstionis nostræ proprium est, cum M. Antonius objiceret C. Octavio ignobilitatem generis, quod Pater ejus Ariciæ natus esset, quod, inquit Cicero, iste municipium non contemnit, qui Aricinum tantum despicit nobilitate antiquissimum? Antequam de antiquitate utriusque urbis disseram percuctandum est mihi ab adversariis, quinam sint ipsi, Papienses ne, an Ticinenses esse velint, aut forte quipiam alii: Eadem ne sit Papia, quæ Ticinum, ut plane intelligam quibuscum mihi sit res, &

actio constituenda: non enim mihi satis exploratum est quod variis nominibus appelletur, neque rationes, quas illi afferunt pugnantes idem esse Papiam, & Ticinum, ita esse satis firmas arbitror, cum nullum hujusce sententiæ locupletem auctorem habeant. Quod si ea diversa sint, deliberent adversarii utrius municipii dici velint municipes. Si malint esse Papienses, ut ubique gentium nominantur, viderint ipsi unde id nomen originem traxerit. Ego certe novi nuperum, & recentissimum esse, nec uspiam auditum, lectumve, nisi post Longobardorum in Italiam adventum. Atqui Ticinum, reor, Papiam esse contendent, quod si eis negavero, æstuabunt, scio, nec facile id satis firma auctoritate probare poterunt. Contrarium nos possumus affirmare, cum C. Plinius scribat, Ticinum conditum fuisse non procul a Pado. Quod homo Italus, & idem Transpadanus ignoraret Ticinum oppidum vicinius esse Ticino tam nobili fluvio, quam Pado. Stephanus item Græcus Scriptor idem oppidum ponit apud Ravennam, quæ non multum abest a Pado: Dicant isti quam propinqua sit Ravennæ sua Civitas, quam Ticinum esse pugnant, an prope Ravennam recte dici possit, a qua distare constat CL. millia passuum: dicant etiam unde illæ immortales inimicitiæ, quas cum Ravennatibus gerunt: ipsi me nutu intelligunt. Sed liberaliter agamus cum adversariis, illisque assentiamur dantes ultro, quod contendentes minime obtinere possent, fateamurque Papiam Ticinum esse: dicant tamen quando Ticinum Papia est vocari desita: adhuc

non

non erit mihi probatu difficile nos multo antiquiores esse Ticinensibus, plurimosque annos ante fuisse Cremonam, quam Ticinum, quod quidem evincere possum plurimis, integerrimisque testibus, qui sine odio, & invidia rem, sicut est, enarrabunt, neque ullus subornationi locus esse apud eos possit. Omnis enim nostra Oratio in hac parte ex Historia, quæ est vetustatis nuntia, emanabit tanquam ex augusto fonte; nec in medium adducam, quæ memoria, aut testimonio alicujus incerti auctoris recentis, atque idiotæ, qui suspectus esse possit, sint introducta, sed ea tantum, quæ vetustissimorum annalium literis, & clarissimis scriptorum monimentis testata sunt, ac testificatione sempiterna consignata. Multa mihi ideo prætereunda, quæ de incunabulis urbis nostræ afferri possent memoriæ prodita a Scriptoribus non nullis. Pauca tantum dicam, & ea sane pernecessaria, ne hic videar nimis ambitiose obruere velle adversarios antiquitatis testimoniis. Non igitur contendam urbem nostram ab Hercule, quod multi affirmant, conditam; neque eam a Trojanis initium habuisse, adversariisque condono illum nescio quem Cremonem, quem scriptum reperi nomen Cremonæ de suo nomine indidisse; remitto etiam illis Brenonem illum, quem ajunt Pallantis socium temporibus Delboræ apud Hebræorum gentem Judicis, ac Disceptatoris controversiarum ejus gentis instituti urbem nostram condidisse, primumque Brenoniam de suo nomine appellasse, quæ mox paucarum literarum mutatione, ita ferente usu, dicta sit Cremona; neque

multum

multum elaboro, eam, ut scriptum quidam reliquere, quondam ab Hercule liberatam fuisse gigantum latrocinio, qui aliquando cum iis locis insedissent, omnem eam oram infestabant. Hæc omnia adversariis condonata volo, nisi forte ipsi, cum de sui municipii origine agent, fabulis, & somniis inniti voluerint monstra, & portenta narrantes, & Papiam temporibus Assueri Persarum Regis a Senonibus fuisse conditam, ut ajunt, nescio quem nullius auctoritatis Scriptorem Stephanardum somniasse, quæ tota sunt commentitia, & nullis annalibus suffulta, ne eos ego quoque ad Delboræ Hebræi, de quo paulo ante, tempora multo antiquiora revocem. Si, Judices, de prima origine urbis nostræ agimus, est adeo vetusta, ut plane ignoretur, quando primum cœperit, superetque omnem vetustatis memoriam. Cinctam vero fossa, ac muro, propugnaculisque, & munitiorem redditam a Romanis comperio clarissimis nobilium Scriptorum monimentis, testimoniisque incorruptis ante bellum Punicum, ut esset, quemadmodum ait Cornelius Tacitus, propugnaculum contra Gallos trans Padum agentes, & si qua alia vis per alpes irrueret. Ingruente igitur in Italiam Annibale, T. Sempronio, & P. Cornelio Conss., a Romanis, ut ait post Polybium T. Livius gravis auctor, Cremona circumdata muris fuit simul cum Placentia, & utræque deductæ Coloniæ, singulisque decreta sex milia hominum, qui utrique municipio præsidio essent. Hic fæde lapsus est Cornelius ipse alioqui luculentus, & gravis historiarum Scriptor, quod tunc conditam a

Ro-

Romanis Cremonam arbitratus sit, cum cincta muris fuit, & deducta Colonia, atque in hac re profecto major fides habenda Polybio, qui græce historiam Romanam conscripsit, non modo, quod antiquior, sed quod etiam diligentia nemini historiarum Scriptori habeatur inferior. Is enim, cum jam decretæ provinciæ Consulibus, quos memoravi, sortitusque esset Cornelius Hispaniam, T. Sempronius Africam cum Sicilia, omni, inquit, studio ad perficiendas Colonias incumbunt, quas circa Padum in Gallia inchoaverant, jam ædificata erant oppida; jussi sunt oppidani, ut intra triginta dierum spatium convenirent, decreta singulis coloniis sex milia hominum. His verbis liquet agi hic tantum de oppidorum munitione, quæ jam erant condita, & aliqua incolarum frequentia habitata, cum inquit oppidanos jussos esse intra triginta dies in oppida convenire. Fefellit Tacitum, quod Polybius ait, in eo loco, omnem operam Romanos navasse per eos dies perficiundis coloniis, quas cœperant; quasi vero ibi nulla essent ædificia, antequam Coloniæ ducerentur, sed locum omnino vacuum muro cingerent, cum potius Romanorum consuetudo fuerit, ut quæ oppida infrequentia nacti essent, eo colonias deducerent, ut Albam, Velitras, Signiam, Circeos, Norbam, Lavicum, Cales, Fregellas, Luceriam, Suessam, Minturnas, Pontiam, Casinum, Soram, Carseolos, Narniam, & complures alias, ex quibus pleræque fuerunt ante conditam Romam ipsam. Quin etiam quamvis non licebat in id municipium, quo semel Colonia ducta fuisset, ite-

rum

rum deducere prima florente, atque incolumi, tamen deficiente incolarum numero tum bello, tum pestilentia, aut aliqua alia vi suppleto salvis auspiciis reduci poterat, ac renovari, quod quidem Cremonæ contigit, & Placentiæ; namque post primo colonias deductas L. Scipione, & C. Lælio Confs., querentibus Cremonensium, & Placentinorum Legatis in Senatu colonorum inopiam, aliis belli casibus, aliis pestilentia absumptis, ut idem refert Livius, quosdam etiam tædio accolarum Gallorum reliquisse Colonias, decrevit Senatus, uti C. Lælius Consul sex milia familiarum conscriberet, quæ in eas Colonias dividerentur, & ut L. Aurunculejus prætor triumviros crearet ad eos deducendos. Creati M. Acilius, L. Valerius P. filius, L. Valerius C. filius Tappo. Quo fit, ut illa Cornelii annorum supputatio de urbis Cremonæ origine convincatur, quod clarissime Asconius Pedianus haud obscurus auctor admonet Cremonam afferens, priusquam a Romanis ducta esset Colonia, conditam fuisse a Gallis, qui ea loca occupaverant; id sane nemo diligens historiarum existimator ibit inficias, sed esto rejectis Polybio, Livioque incorruptissimis testibus, prætelioque Asconio, soli Cornelio credatur, plurimosque annos ab antiquitate originis nostræ urbis detrahamus, quos Papiensibus, agentes cum eis liberaliter condonemus. Condita sane fuerit Cremona tunc, cum P. Sempronio, & T. Cornelio Confs. primum deducta fuit Colonia; non poterunt tamen negare fuisse Cremonam, antequam Annibal cum Poenorum exercitu in Italiam descendit,

cum

cum nondum neque Papiæ, neque Ticini oppidi nomen usquam terrarum audiretur. Interea vero apud eosdem scriptores præter id quod modo dictum fuit de origine urbis, in eodem bello Punico reperitur Cremonensis nominis frequens mentio, ut apud eundem Livium, cum Romani occupati bello Macedonico, Insubresque omnes, Cenomani, & Boii excitis Selinibus, & Iluatibus, cæterisque populis Ligustinis Amilcare duce Placentiam invasere, captamque, & direptam incendere, Cremonam deinde magno malo suo, ut postea suo loco dicetur, repulsi frustra tentarunt, sexcentisque aliis in locis ejusdem belli Punici temporibus apud eumdem Livium, cæterosque Scriptores populi Cremonensis mentionem reperias. Cum vero de Ticino oppido in eorumdem Scriptorum annalibus illis temporibus ne verbum quidem, sitque tum apud eos tam mirum de illo silentium, tum apud cæteros omnes tam infrequens mentio, audacter dico, & magna voce dico, oppidum vestrum, Papienses, seu Papiam, seu Ticinum malitis, illis temporibus nondum usquam gentium fuisse, cum id sit quoque, non, ut multa alia oppida, devium, ac semotum, sed loco valde opportunum, fierique non potuerit, quin utrique exercitui Romano, ac Poeno contigerit sæpius per agrum vestrum saltem iter facere. Non tacuisset proculdubio T. Livius nomen insignis admodum municipii, ubi scribit, Romanos Ticinum amnem ponte junxisse, ibique Castellum imposuisse, cum idem vel Tumulos vicum ignobilem, atque obscurum nominet. Item

cum

cum Scipio accepisset cladem illam nobilem Ticinensem, narrat idem auctor, eum trajecto Pado exercitum deduxisse, cum valde opportunum Romanis fuisset in oppidum Ticinum, si tunc fuisset conditum, se recipere: quo ita tacite transito in tanta exercitus Romani trepidatione, tantaque rerum turbatione, ac necessitate, quis poterit adduci, ut credat illud oppidum tunc extare? Indicate vos per Deum, quo in loco Livius ipse in tanta historiarum congerie illis temporibus de vobis, deque vestro municipio verbum ullum proferat. Docete apud quos alios rerum Scriptores memoriam vestri nominis reperire queam, cum nominis Cremonensis fama perceleberrima sit ubique dissipata, toties consignata, ac consecrata apud Polybium, C. Cæsarem, Livium in ea quoque parte historiæ, quæ nuper reperta fuit, Plutarchum, Cornelium Tacitum, Vellejum Paterculum, Asconium, & alios multos; quorum non modo annalium literis, ac monimentis memoriæ proditi sumus, sed etiam nobilium, & antiquorum poetarum voce laudati. Hi sunt nostri Stephanardi, aut Coriarii, ut posthac de antiquitate, nisi plane nihil scitis, ac sentitis, nobiscum contendere desinatis, nisi etiam forte locupletiores auctores, magisque incorruptos testes, qui magis sine odio, & invidia loquantur, expectetis, idest nisi plane desipiatis, cum res ipsa loquatur nobis tacentibus, neque ullus tergiversandi locus vobis relinquatur. Agite vero antiquitate victi, contendite de Originis Nobilitate, deque utriusque municipii conditoribus differamus,

mus, videamusque utrum illustriora habuerit initia.

Magnus ille, & divinus auctor princeps ingenii, & doctrinæ Plato in libro, qui Menexenus inscribitur, inducit Socratem laudantem Atheniensium civitatem, quod majorum origo haud peregrina fuerit. Hanc laudem Civitas vestra minime est consecuta, cum, si quid C. Plinio haud ignobili auctori credimus, Ticinum oppidum conditum fuerit a Leviis, & Maricis barbaris, atque subalpinis Populis, quorum apud scriptores omnes infrequens mentio. Cremona vero Civitas pervetus optimis conditoribus divinitus constituta fuit, ut vobis modo assentiamus, gratificemurque, tunc primum conditam fuisse, cum deducta fuit Colonia; mirabilis deinde ejus fuit progressio, & ad omnem excellentiam, ut postea demonstrabo, incredibilis cursus factus; non a Liguribus, Gallisve, aut barbaris quibusvis posita est, sed a populo rerum omnium domino, atque omnium regum, omnium nationum, gentiumque victore initium habuit. Dicam enim bona fide rem, sicuti est, explicaboque incunabula urbis nostræ, ac plana faciam, ut rerum nemo diligens indagator non ita esse fateatur, neque non nobiscum sentiat. In illo pulcherrimo, ac feracissimo tractu oræ mediterraneæ, quam Cenomani habitarunt inter Padum, & Ollium flumina, propter ubertatem agrorum, solique bonitatem, pro comperto habemus plurimos incolas, qui sparsim in locis circumvicinis habitabant, vicos, & tabernacula posuisse, adeoque ibi ædificia increbuisse, ut jam spe-

ſpeciem, & amplitudinem urbis præberent intuentibus; ut principio dici poſſit potius nata, quam a quoquam urbs condita, ut modo de Athenis dicebamus, nondum murorum munitione ſepta erat, ſed tenui foſſa, exiguoque aggere pro vallo ſe incolæ tuebantur adverſus ferarum, latronumque incurſus. Romani deinde ſub adventu Annibalis primo coloniam duxere, muriſque firmiſſimis cinxerunt. Hinc tanta acceſſio municipio facta eſt, ut brevi tempore, ut ait Tacitus, colonorum numero, opportunitate fluminum, ubertate agrorum, nexu, connubiiſque finitimorum populorum mirum in modum adoleverit, florueritque, bellis externis diu intacta, civilibus obnoxia, ſemperque deinceps Cremonenſes officio, ac fide ſingulari eſſe ſe Romani ſeminis, ac generis ſobolem comprobarunt, eligentes potius omnia extrema pati, quam tantillum a Romanorum Imperio diſſentire, ut par erat Civitatem, quæ non tantum amicitia, ac ſocietate Romanis conjuncta eſſet, ſed etiam cognatione, potiuſque eadem cum populo Romano dignoſceretur. Omnium enim Coloniarum, quæ a Romanis deductæ erant, hæc erat Lex, ut colonis ager viritim divideretur, illi vero ſtipendia, & milites ex cenſu darent, & pari jure cum populo Romano in ferendis ſuffragiis Romæ citarentur. Id nemo in dubium vocabit, qui veteres annales diligenter perſpexerit. Omnia ego hic ſi populi Cremonenſis fortiter geſta, in quibus enituit ejus coloniæ fides, & virtus in auctores, majoreſque ſuos, a quibus originem traxere, commemorare voluero, neque mihi

hi tempus ſuppetet, neque latera ſufficient. Sed ea potius mihi tunc recenſenda erunt, cum de populi noſtri virtute, officio, ac fide ſuo loco dicetur. Satis nunc fuerit probaſſe Cremonam eſſe populi Romani Coloniam iterum deductam. Quod quidem omnibus exploratum eſſe debet, tum tantorum auctorum teſtificatione, tum hoc argumento, quod Majores noſtri in fide ſemper perſtiterunt erga populum Romanum, cujus ſanguis erant, & propago, neque unquam detrectarunt munera militiæ ad Senatus, populique Romani præſcriptum obedientes. Ut autem omnia hujus rei deſint argumenta, ceſſentque rationes omnes, & teſtimonia ſcriptorum omnium, res ipſa per ſe liquet iis, qui omnino in Civitate noſtra non peregrinantur, cum uſque in præſentem diem audiant multarum, non dicam omnium, familiarum Cremonenſium nomina cum Romanis, Latinisve familiis convenire, & intelligant eaſdem omnino eſſe, quæ in prima, & ſecunda Coloniæ deductione Roma ad nos profectæ ſunt, nomenque adhuc retinent. Nollem eſſe multus in eis omnibus numerandis; veruntamen, quoniam originis noſtræ a Romanis deductæ hinc indubitata veſtigia, indicia certiſſima, & argumenta colligi poſſunt, allego vos ad ea, quæ nuperrime de hac re ſcripſit Civis noſter eruditiſſimus. Collegit enim ſupra ſexcentas familias civitatis noſtræ, quas Romanas fuiſſe nemo inficias ire poteſt, cum aliquæ ſint omnino eædem, nomenque integrum adhuc retineant, aliquæ propter linguæ latinæ interitum, tantamque immutationem corrupte quidem enun-

ciantur paucarum literarum vel fuga, vel obreptione, mutationeve præpostera, aut inversione, attamen eædem esse, quæ Romanæ fuerint, agnosci possint. Multos etiam vicos agri nostri Scriptor diligentissimus enumerat, qui a familiis Romanis nomen duxerunt. Quid? quod etiam circa pondera, & mensuras nulla est in Italia Civitas, cujus ratio iis quoque temporibus magis conveniat cum Romanorum ratione. Jam satis planum fecimus Cremonenses Papiensibus præferendos tam antiquitate, quam nobilitate originis, quæ duo satis esse possent, si adversarii mentis essent suæ, nisique essent insigniter impudentes, ut ab hac contentione sua sponte discederent: quæ cum sint manifesta, non urgebo diutius hunc locum. Dicant isti, si possunt, quam frequens sit in veterum annalibus sui municipii mentio, a quibusve conditum fuerit. Si alios conditores, quam quos C. Plinium referre dixi, commenti fuerint, tota eorum res erit nugatoria. Jam intelligitis, Papienses, his duabus rebus stabilitis totam caussam vestram concidisse, neque verbum ullum mihi potestis respondere in re tam perspicua, & ab omnibus explorata. Agite vero cæteris in rebus, quas proposui, quanta sit præ illorum municipio Civitatis nostræ præstantia. Etenim, Judices, contendo, nos non in aliquibus tantum excellere, atque Papiensibus anteferri oportere, ita ut in aliquibus superati cedamus, ut de pictoribus loquentes Zeusim longe cæteris præstantiorem in mulieris corpore pingendo affirmarunt, in alio vero picturæ genere ab aliquibus anteiri; sed omnibus

nibus in rebus a Cremona Papiam antecelli evincam.

Igitur inter ea, quæ Civitates alias aliis præstantiores reddere solent, in primis reperio per se id facere posse Civium ipsorum numerum, atque frequentiam. Nihil enim Civitatem esse convenit, quam quandam hominum consociationem, & communitatem eodem jure viventium. Sparsim prius in agris homines habitabant; ut vero adversus ferarum, aliorumque hominum vim, virium, opumque communione tutiores essent, cœperunt congregati simul habitare, quæ concilia, conventiculave, aut cœtus a principio jure sociatos civitates appellarunt, civesque dicti, qui conjunctione, & societate ejusmodi concilia facerent. Cum igitur numerus Civium sit radix omnis, & fundamentum, statusque ipse Civitatum, sine quo, neque esse, neque consistere possunt, sicuti sine aquarum collectione flumina esse nequeunt, quo major numerus Civium convenit, eo majorem, amplioremque, & præstantiorem Civitatem esse necesse sit, quod in fluminibus, ut in eadem similitudine perstemus, clarius videmus, quæ majore copia aquarum nobiliora semper fiunt, quod nemo est tam aversus a vero, tam præceps, ac mente captus, qui non videat. Mihi in animo est hanc Orationis partem leviter perstringere, quoniam de re illustri, & omnibus plane nota loquor, neque eget recondita quadam ratione, neque adversarios eo dementiæ processisse arbitror, ut velint solitudinem cum frequentia conferre; dicam tamen nonnulla propter circumstantes, quo-

rum aliqui fortasse, ut peregrini nullam utriusque Civitatis notitiam habent. Si antiquissimum quodque tempus spectandum, comperio nullam a principio Cremonensis nominis ætatem fuisse, qua nostra Civitas non fuerit jam tum frequentissima; quod quidem nemini dubium erit, qui meminerit testatum esse, ac consignatum annalium monimentis, cum primum a Romanis septa fuit muro, ab eisdem eo fuisse statim missa tria milia familiarum, quæ primis loci incolis, & indigenis adjecta possent justum numerum amplissimæ Civitatis efficere; etsi quando bellis pro Imperio Romano susceptis exhausta fuit, atque attrita, statim semper a populo Romano suppletus est justus Civium numerus. Prope est incredibile, quam brevi ea Civitas multis, & magnis cladibus receptis post casus semper resurgere potuerit, creveritque deinde in magnam multitudinem. Tempestate Annibalis Pœni cum nusquam terrarum essent Papienses, nondumque auditum esset usquam gentium Papiæ, aut Ticini oppidi nomen, in eam magnitudinem jam creverat Cremona, ut exercitus Gallicani vim, atque obsidionem multorum dierum Hasdrubale Carthaginiensi duce sustinere potuerit. Ut vero conjicere possimus quanto hostium numero oppugnata fuerit, tradit Livius eruptione a nostris facta, ingruentibus auxiliariis Romanorum copiis urbem obsidione liberatam, Gallorumque exercitum, cæso Pœno duce, profligatum, cæsa, captave supra quinque, & triginta Gallorum millia. Apertissime Strabo summæ auctoritatis Scriptor testatur Cremonam frequentissimam

ſimam fuiſſe, eamque, & Placentiam circum Padum celeberrimas Civitates vocat, cum idem vix nudum nomen Ticini oppidi proferat. Sequenti vero ætate poſt annum 286. ex quo deducta fuit primum a Romanis colonia, quam celebre fuerit ejus urbis nomen, ſi quis ſcire velit, refert Cornelius Tacitus, orto civili bello temporibus Vitellianis, cum Veſpaſianus jam imperio aſpiraret, Cremonam, dum Vitellio Imperatori fidem, quam dederat, præſtare nititur, a Veſpaſiani militibus, Antonio duce, igni, ferro, manu, copiis oppugnatam, demum captam, atque combuſtam, eoque irrupiſſe quadraginta armatorum millia, amplioremque fuiſſe calonum, & lixarum numerum, qui ibi erant. Refert etiam obiter idem hiſtoriarum Scriptor tunc eodem magnam Italiæ partem conveniſſe ſtato forte in eoſdem dies Mercatu, fuiſſeque jam tunc tanti nominis ampliſſimam Coloniam, ut ea capta, ſectaque ab hoſtibus tota Italia conſenſerit, ne quis prædam a militibus coemeret, quod quidem cauſſa fuit, ut & rarus inventus fuerit ſector, & prædandi modus fieret, militeſque abeuntes inutilem prædam relinquerent voci præconis fruſtra ſubjectam. Edixit quoque deinde ipſe Antonius urbis magnificentia inductus, ad id etiam hortante Veſpaſiano jam rerum potito, ut captivi dimitterentur, fora, & templa, quæ regiæ Urbis ſpeciem præſeferebant, reſtituerentur, reædificata mox theatra, aliaque publica Ædificia repoſita, ut brevi, ubertate agri, opportunitate fluminum, colonorum numero, nexu, connubiiſque finitimarum gentium, totiuſque

Italiæ commercio in pristinum statum, fortunamque reddita fuerit. Taceo quantum jam tum ex duobus præliis in agro nostro apud Bebriacum commissis conjici liceat de numero, ac multitudine populi Cremonensis, cum semper alter exercitus opibus, ac copiis magna ex parte ejus Civitatis conflatus fuerit. Mitto quanti momenti fuerit Cremona alteri partium, cui favebat in bello Civili, quod Cæsar contra Pompejum gessit; mortuo quoque Cæsare in alio bello Civili inter Augustum, & Brutum, Cassiumque, quæ rerum Scriptores luculentissime prosecuti sunt, cum interim de vestris hominibus mirum apud omnes silentium. Sed id olim fuerit, quod vobis totum remitto. At vero si forte placet magis præsentem fortunam spectari, numerumque, & frequentiam colonorum utriusque municipii, qui nunc sunt, & adhuc vivunt, inter nos conferri, non detrectabimus certamen. Vix adducor, ut credam vos ita desipere, ita nihil sentire, ut ultro in hanc palæstram descendatis, quo vestra impudentia ab omnibus mortalibus cognoscatur; nam etiam sine mea Oratione res ipsa vobis respondere possit. Nihil igitur comparandi causa dicam, ne vobis plane sim ridiculus, Judices, qui utriusque Civitatis non modo templa, & fora, & vias publicas inspexistis, sed etiam agros sæpius, & vicos peragrastis, vestrisque in animis insedit facies Urbis utriusque. Cum mihi municipium vestrum, Papienses, aliquo suscepto itinere pertranseundum est, primo ingressu (dii boni!) qui me semper perfundit horror præ mira solitu-

di-

dine! nihil infrequentius, nihil, proh divum, atque hominum fidem! relictius, nihil desertius, magisve solitarium, ut ipsius solitudinis, aut vastitatis domus esse videatur. Semiclusæ tabernæ fere omnes, vacuæ apothecæ, frigent mercatorum, publicanorumque tabernacula, squalent omnia. A porta ad forum semper pervenio, antequam duos, ad summum tres obvios habeam, & illos quidem squalidos tanquam diuturna fame confectos, & male vestitos servorum quasi habitu sordidatos; & in ipso quoque foro solitudo. Si Papiæ adimas nobiles adolescentes, qui ibi commorantur, non animi causa, sed ut se variis doctrinis propter Magistrorum conductorum copiam excolant, nullum neque in montibus oppidum infrequentius reperias. Non dico id vobis insultandi gratia, sed magis pro societate, ac vicinitate nostra vicem vestram doleo, neque vos omnino contemnimus, quos, dum in calamitate tabescitis, eadem fortuna fere semper afflictos exercet, ut fieri solet in terris, in quibus bellum acerbum, & diuturnum versatum fuit. Atque hic equidem Papienses haud ego fortunam vobis adversam objicio, sed ignaviam potius, atque inertiam insector: quippe omnibus hujus ditionis Urbibus, omnibus municipiis, coloniis, & præfecturis, vicis quoque, & pagis commune fuit bellum, totaque Italia pervagatum est; omnia tamen alia municipia, & loca non tantum propter soli ubertatem, verum etiam propter hominum industriam, legumque optimam institutionem, & morum sanctitatem in pristinam fortunam resti-

 tuta

tuta sunt; cui rei argumento esse potest, quod jampridem cæterorum oppidorum arva ubique cultissima spectamus, restituta celebritate, & frequentia virorum, ac mulierum; in agris autem vestris, dii immortales! quæ vastitas? quæ solitudo! quam deserta, inculta, atque relicta omnia! Quæ, inquam, Barbaria vastior, quæ horridior solitudo? Illac iter habens, tanquam per deserta Lybiæ iturus, nisi ducem mercede conductum tecum habeas, nuspiam reperias, qui tibi erranti, hæsitantive iter commonstret. Contra vero si ad nostra respicias; timide ingredior, Judices, loqui de frequentia nostræ Civitatis, de Populi Cremonensis magnitudine, deque Urbis honestissimæ amplitudine, & celebritate; scio enim quidvis cuivis florentissimæ Civitati facile posse contingere. Deus Optime Maxime hominum ipsorum sator, cujus nutu, atque imperio sola terrarum firmantur, positæ sunt Urbes, atque a principio institutæ Civitates, serva diu quæso hunc populum incolumem, atque florentem ad utilitatem hujus Sacrosancti Imperii, cui Cremonensis Civitas integram, illibatamque fidem semper præstitit, opesque suas, & copias semper promptas habuit. Tuque unici Filii a Deo innenarrabili partu æternum geniti, a te solo afflatu divino haud fabulose concepti Magna Parens, eademque Virgo, Cæli Regina, Mundi universi Domina, hominum generis tua precatione, ac conciliatu sospitatrix, quam semper post Deum est venerata, veneraturque quotidie nostra Civitas cultu præcipuo, posito amplissimo in optima Urbis parte tem-

Templo affabre, lauteque ſtructo: & vos cæleſtes Animi principio rerum a Deo creati, Divique omnes cælites, quos virtus, pietaſque, & merita præclara, accedente propenſa in Vos Dei benevolentia, ac liberalitate ex hominibus in cælum evocarunt, adeſte pientiſſimo populo, & qua plurimum polletis apud Deum gratia, eum ſedulo juvate. Peſtilentiam ſaltem, & barbararum nationum vim, bellaque avertite, variaſque cæli injurias longe a civibus prohibete: ipſi a nobis induſtria noſtra, ac navitate famem propulſabimus, noſtroque labore procul arcebimus egeſtatem; valeant Cives, ſint incolumes, ſint florentes, ſit illa Civitas, quæ principibus Civitatibus, ut æquum eſt, ſemper ultro ceſſit, æquales ibenter tulit, cum inferioribus non arrogantibus le exæquari paſsa eſt non invita. Incredibilem in ſmodum, Judices, nunc frequens, ac celebris eſt noſtta Civitas, non in foro, publiciſve locis tantum, verum etiam omnibus viis, viciſque, & angiportis ubique maximi virorum, & mulierum conventus, puerorum præſertim ultro citroque diſcurrentium, tantaque paſſim copia, vis, & numerus, ac multitudo civium omnium generum, omnium ætatum, atque omnium ordinum, viri, ac mulieres omnis fortunæ, & loci, ut continenter tota die perpetuum quaſi agmen huc illuc procedere putes, magnamque credas Italiæ partem ad mercatum effuſam huc conveniſſe. Videre eſt quotidie plenum, & refertum forum, repleta omnia Templa, tabernas opificum, & apothecas frequentiſſimas, omnes gradus baſilicarum ab omni

Civi-

Civium ordine compleri. Taceo cum ſeptima quaque die ex oppidis vicinis, viciſque, ac pagis in agro noſtro diſpoſitis ad ſtatum mercatum convenitur, qui concurſus, quæ effuſiones ex omnibus agris fiant; non ſi ipſa ſe Papia convulſa ſedibus ſuis, conflataque tota in homines tranſmutet, poterit minimæ parti tantæ celebritatis reſpondere, eritque nihilominus præ tanta frequentia mira ſolitudo; mitto iſtos mercatus, ac nundinas; omnes Dies hic putes quaſi Divorum immortalium feſtos atque ſolemnes celebrari. Nondum de ſelectis nobiliſſimorum, ac principum Civium conciliis, ac conventibus, quas ſodalitates vocant, mihi inſtituitur ſermo; reſervo hanc Orationem ad illum locum, cum de Civium noſtrorum humanitate, atque hoſpitalitate verba faciam; id autem nunc affirmo, & audacter dico, nullam Urbem in Italia pro captu eſse frequentiorem, ac magis celebrem. Non vos latet, Judices, Cremonam non eſse mænium ambitu admodum ſpatioſam, ſed potius civium numero, quam murorum circuitu amplam; & ne diutius vos morer, præſenti ætate, poſt concurſum tantarum calamitatum, poſt tot acerba, & diuturna bella, toties variante fortuna, benignitate Dei optimi Maximi Cremonenſis populus cenſetur adhuc ſupra XL. millia Civium. Quam vero frequens hominum quoque ſit ager noſter, ex agrorum ipſorum cultura quivis facile judicare poſſit. Tu in primis tamen, Gonzaga Ferdinande, hujus rei optimus arbiter eſse potes, cui ſæpiſſime contingit Cremonam diverti. Memini equidem

dem olim cum te a nobis abeuntem Mantuam versus aliquot stadia prosecutus fuissem, mihi cum admiratione quadam dixisse, videri tibi agrum Cremonensem totum ubique quasi perpetuum suburbium, & id quidem, cum ob cultionem, tum ob hominum frequentiam: admirabaris mecum tot vicos, tot pagos, castella quoque, & tam frequentes villas, domos, ac tabernacula, cum videres incredibilem hominum vim, ac copiam ubique obviam, fierique ad Te undique mirificos concursus, plenis viis, maxima vociferatione, atque applausu, nec poteras satis admirari tantas hominum ex villis, atque ex omnibus vicis effusiones, meminique me tunc tibi hac occasione dixisse, hac ratione intelligere, quod in sacris Hebræorum literis incredibile, & quasi fabulosum videtur, Ninivem civitatem apud Assyrios tantæ longitudinis describi, ut vix trium dierum itinere queat pertransiri, fuisse, inquam, in eo tractu tam frequentes Domos, & pastorum tabernacula, agrumque ita habitatum, ut speciem ubique cujusdam magnæ urbis præberet. Jam vero dimissa tandem de frequentia disputatione, ordo earum rerum, de quibus mihi differendum in comparatione initio actionis propofueram, interpellat, ut de censu, atque opibus, & fortunis utriusque Civitatis disputare ingrediar, facultatesque amborum populorum invicem conferam.

Video hic, Patres, vestrum aliquos frontem contraxisse, quasi de re minime necessaria, ac per se illustri me loqui velle non admirentur modo, sed etiam stomachentur, quasi velim conferre ege-

sta-

ſtatem, inopiamque omnium rerum cum copia, ac ſaturitate. Oratio noſtra (fateor) huc invita prolapſa eſt, quando etiam cives mei hanc partem, aut omnino relinquendam, aut pudenter, admodum, & leviſſime tangendam monuerunt re magis, & ſua facultate freti, quam Oratoris copia, ne unde nobis invidia conflari poſſit, videremur de fortunæ beneficiis intoleranter gloriari, & inde Civitati noſtræ commendationem eam ducere, quæ poſſit eſſe etiam ſine virtute, cum majores noſtri illam ſolam commendationem, & laudem appetendam eſſe ſemper duxerint, quæ eſſet ad gloriam: dicam tamen, Patres, libere, quod hacce de re ſentio. Licet ſemper ſanctitate diſciplinæ ornamenta Patriæ in virtute, & induſtria poſita habuerimus, attamen etiam fortunæ benignitatem non aſpernamur, gaudemuſque aliquam fortunam conſecutam foviſſe ingenii, ac virtutis noſtrorum hominum præſtantiam, nec divitias omnino contemnimus, quas etiam ab antiquiſſimis Romanorum ſapientibus viris bona dictas fuiſſe comperimus, cum boni in abundantia divitiarum poſſint eſſe meliores, quod opes ipſæ virtutis exercendæ largam, opportunamque materiam præbeant plurimiſque gratificandi facultatem. Neque ullo pacto rei familiaris amplificationem parvipendendam eſſe duco, modo opes noſtræ non tantum nemini noceant, ſed etiam potius, ut bonitatis inſtrumentum communi utilitati ſerviant; modo, ut breviter dicam, magis animus noſter ſit dives, quam arca, divitiaſque expetamus, habeamuſque magis, ut ſint ornamenta ingenii, quam

ad

ad voluptates perfruendas. Parum eſſet, fateor, ſi Civitas noſtra eſſet tantum opibus firma, copiis locuples, & divitiis afluens, niſi foret etiam gloria ampla, & virtute honeſta, ſicut majores noſtri præclare ab initio fundatam eam nobis reliquerunt: quod etiam Ariſtoteles vir acutiſſimi ingenii ſenſiſse videtur, ubi dixit, opulentioribus doctrinam, atque nobilitatem magis adeſſe convenire. Antequam ad hæc aggrediar, Judices, mihi pleniore voce præfandum eſt, meos Cives haud plane credere Papienſibus res eſſe ita tenues, atque attritas, ut ipſi videri volunt, quo ſe ſubducant oneribus, quæ propter ærarii anguſtias publice civitatibus Provinciæ interdum imponuntur, quove minimi cenſeantur; aut ſi eſt eorum res, & fortuna, ut prædicant, id omne ipſorum ignaviæ, atque inertiæ aſcribunt. Neque agrum illum cenſent eſſe adeo ſterilem, atque jejunum, quem ſi colerent non ad ubertatem elicerent. Ego tamen in hac fortunarum diſputatione, ne adverſarii expoſtulent, & conqueri poſſint omnia dicam ex animi eorum ſententia, quod etiam ſervavi cum de utriuſque populi frequentia agerem, nec per me deerit, quin, dum pauperes velint videri, ſint etiam pauperrimi; uſque eo, ut omnibus mortalibus, ne dum miſerandi, ſed etiam ſint oſtentui, modo ſit ex ipſorum re, idque eos ita delectet more mendicorum, qui ſtipem a prætereuntibus expectantes, denudato ulceribus obſeſſo corpore morbum de induſtria alere creduntur ad plurium hominum miſericordiam, & opes alliciendas, feliceſque, ac fortunatos tunc ſe ducerent,

rent, si nacti essent teterrimum aut crus, aut brachium immortali, atque insanabili ulcere deformatum, qualem fuisse Philoctetæ pedem in fabulis narratur, semper tabo, & sanie, multaque illuvie fluentem; usque adeo mendicitatis semper conjuncta est aviditas. Male mihi sit, nisi me eorum miseret, quos nihil invidi relinquamus in sua egestate fortunatos, ac triumphantes. Non sunt, Judices, opes nostræ, neque invidiosæ, neque nimium tenues, sed omnino mediocres, satis non tantum ad victum, sed etiam ad cultum domesticum pro cujusque conditione, & splendore suppetentes, huic nimirum imperio semper paratæ, atque expositæ. Experiris quotidie, Gonzaga, quo Civitas nostra majoribus opibus sit nixa, eo Cæsari magis opportunam se præbere, nostrasque fortunas, quæcunque sint, semper ad publicam utilitatem redundare. Non dico nobis pecuniæ esse affatim, quantumve interdum opus esset reipublicæ, cum sæpe impendeant infiniti sumptus in angustiis ærarii, in summa difficultate nummaria; sed quantamcumque habemus, semper huic imperio promptam, sine ulla recusatione, sine ulla mora, aut retractatione damus, tribuimus, solvimus. Quando Cremona pecuniam imperatam non ad diem enumeravit? sed quid pecuniam tantum? frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturas? Quando id, quod per se sensit opus esse, in reipublicæ subsidium non ultro pollicita est? Quando id, quod imperatum fuit, solvere etiam facta versura recusavit? privati etiam mediusfidius non inviti sæpe auctionem faciunt, domos,

fun-

fundos profcribentes, ut Cefari pecuniam fumminiftrent, cum propter ærarii tenuitatem omnes provinciæ Civitates, omnes præfecturæ, atque coloniæ præftant vicem ærarii, pecuniam quafi debitam diffolventes. In propulfandis Cæfaris, reipublicæque periculis omnia profundimus, dantes quicquid promptum habemus, argentum, veftem, fupellectilem, & quæcumque ad ufum militarem pertinent; huc non modo omnia confilia noftra, fed etiam opes referuntur. Hæc eft illa Civitas, quam Imperatores noftri femper armorum, annonæque perfugium effe dixere, quam femper non tantum pro cella penaria hujus Imperii, ut de Sicilia ille dixit, fed etiam pro ærario habuere, quæ pignora voluntatis noftræ erga Cæfarem certa effe debent. Superioribus quoque annis, quod erat e re ipfius Cæfaris, frumento fuppeditato inopiam Papenfium, & famem fublevavimus, quod tamen a me hic dictum fit non exprobrandi benificii eis gratia. Hæc cum ita fint plane manifefta, ut negari non poffint, ajo in hac noftra contentione honoris, ac dignitatis oportere communis utilitatis haberi rationem, illamque Civitatem omnino anteferendam, quæ magis utilis eft reipublicæ, atque opportuna, ut quibus fummum onus imponitur, ad illos etiam fummus honos perveniat, quæ lex non tantum eft fcripta, fed etiam cum ipfo hominum genere nata, & in ipfa natura infixa. Infpiciendum eft igitur utri majora vectigalia, quibus imperium potiffime nititur, ærario penfitent; utra Civitas tot annos in tanta rei nummariæ difficultate magis rempub. fublevaverit;

rit; appellandi mihi sunt publici Quæstores Provinciæ; afferantur tabulæ publicæ recensionis, vectigaliumque omnium Civitatum Mediolanensis imperii, tabulæ item aliæ, in quibus habeatur ratio publicæ pecuniæ tot annorum datæ, acceptæ, atque relatæ TABULÆ VECTIGALIUM CENSUSQUE TOTIUS PROVINCIÆ. Ex hac tabularum lectione, Patres, videtis, non solum omnium vectigalium, sed etiam publicæ recensionis totius provinciæ impressam memoriam, ne quis tergiversari valeat. Jam omitto in controversiam, & quæstionem vocare utra Civitas in angustiis ærarii promptius, ac paratius pecuniam imperatam subministret, sed quærendum utra largius, atque unde majoribus subsidiis semper fulta fuerit respublica, ab istis ne, an potius a nobis. Videtis igitur a quæstoribus provinciæ in singulos annos pecuniæ vectigalis plerumque supra HS quinquagies exigi a Civitate nostra, a Papiensibus vero quasi decussatim dimidio fere minus. Clarius etiam fore propediem speramus ex census tabulis si diligenter, & æquabiliter confectæ fuerint, ut fieri cæptæ sunt, utri quod utrique superiorioribus annis imperatum ex censu debuerant, probius, & sanctius, magisque ex fide bona solverint; interdum quoque ante tempus, biennis nondum debitum a publicanis pecuniam vectigalem repræsentavimus. Videtis etiam, quid relatum sit in tabulis quotannis ex utriusque Civitatis pensitationibus (loquor de pecunia imperata tam secundum census tabulas, quam in capita, aut in familias præter urbis vectigalia perpetua) quantove majora

sub-

ſubſidia ſemper reipublicæ attulerimus, quam Papienſes; id unum hercle facile de controverſiis noſtris judicare poſſet, finemque liti imponere: æquum profectò eſſet, Papienſes, quanto minus opum, viriumque in vobis eſſe ſentitis, tanto vos minus habere arrogantiæ, & iis, qui vobis opibus longe ante eunt, ultro cedere. Neque ego hic cenſus veſtros requirerem, ſi vos intra cancellos modeſtiæ continuiſſetis, rerum veſtrarum finibus contenti, neque ad explicandum opes noſtras oratione deſcendiſſem, ut feci, omiſſa tamen amplificatione, cum Cives mei, ut centies memoravi, potius hæc pudenter, & parce, exigueque tangi a me velint, niſi eo uſque vos provexiſſet arrogantia, ut cum egentiſſimi ſitis, vos tamen cum honeſtiſſima Civitate conferre, atque adæquare auderetis, ut intelligant homines, pauperes cum ſitis tam inſolentes, opulenti quales eſſetis. Vobiſcum ſane recte agitur, quod vobis ſint opes tenues, & infirmæ, afflictaque fortuna, nec ut alii populi faciunt, malis occurrentes induſtria vos metipſos ſublevare nitimini, ſed oſcitantes in calamitatibus tabeſcitis, ut ſitis oſtentui omnibus populis. Si res veſtræ integræ eſſent, atque florentes, quamvis non multo meliore eſſe poſſint loco propter agri miſeri, atque jejuni ſterilitatem, ut vos metipſi prædicatis, quæ Civitas vicina poſſet ferre veſtros ſpiritus? quanta eſſet veſtra arrogantia? neque ego hic, Papienſes, veſtri irridendi ſtudio paupertatem vobis objicio, ſed potius officio modeſtiam, atque æquitatem veſtram requiro. Deus optimus maximus Civitatem

vestram fortunet, & vobis sint opima omnia, saturitateque, & copia omnium rerum redundent, modo ne cum copia crescat simul arrogantia; neque velitis de amplitudine cum eis Civitatibus velitari, quibus cedunt etiam illæ, quæ sunt in aliquo numero. Vobis profecto res sunt alioqui semper tenues, atque exiguæ propter solum exile, & macrum: hoc tempore etiam existunt fluxæ, atque prolapsæ propter diuturnitatem perniciosissimi belli, quod superioribus annis exarsit in tota Provincia. Nemo fere apud vos est, cui non sit adhuc res familiaris fracta, dissipata, atque direpta, nihil usquam egentius, nihil spoliatius; non dico nihil vobis lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, ac sumptuosum ad splendorem, & amplitudinem, sed ajo, affirmoque, vobis rem deesse ad necessaria; miseros nos, quibuscum egentissima natio audet se conferre; Dixi modo, urbem vestram infrequentissimam; si qui tamen in ea apparent, rari illi quidem, & præter hospites, fere omnes pannosi, atque agrestes semper nescio quid oppidanum, semipaganumque redolentes, egestate conflictati. Jacent apud vos pretia prædiorum; nulla, aut rara, & minime exquisita agricultura, nulla mercatura, nulla ars, nulla industria, iccirco utimini semper anguste re familiari; definite inopes, deformatique ærumnis, miseriisque cooperti, alienam opem exspectantes, rerumque humanarum spectaculum facti, de principatu certare velle cum Civitatibus honestissimis. Stomachantur; mihi credite, omnes boni, cum audiunt aliquem, qui nullo in numero sit, con-

contemptissimum, egentissimum, inopia omnium rerum miserabilem, insigniter tamen arrogantem cum præclarissimo quoque, ac summo de honore, ac dignitate contendere. Quid, quæso, sentire de modestia vestra putatis homines, cum vident municipium sine re, sine spe, sine fide cupere tamen se adæquare locupletissimæ populi Romani Coloniæ, quæ semper opibus, & copiis floruerit, floreatque etiam nunc, & affluat ad saturitatem, ubi splendent omnia, ubi luculenta, ne dicam summa omnia, unde rerum egregiarum cuncta sumi possint exempla, quæ copia omnium rerum abundat, cui tum soli bonitate, tum hominum industria nihil earum rerum deest, quæ opus sunt non tantum ad victum, sed etiam ad cultum, vitæque splendorem, atque nitorem, cui res, & pecuaria, & rustica, ex omni parte est sane bene culta, & fructuosa? Nisi hic vererer, offendere animos meorum civium, qui istæc a me, ut jam sæpius inculcavi, aut leviter tangi, aut omnino omitti malebant, contenderem, nullam terram in Italia reperiri alimentorum feraciorem. Habet Cremona frugifera, & ferta arva, magnam vim frumenti, vini, mellis, lini inprimis mollissimi, ac lanæ pretiosæ. Excellit longo intervallo opima, & fertili ubertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine pastionis, multitudineque earum rerum, quæ exportantur; ad soli opimi ubertatem accedit hominum industria, navitasque; quibus desunt latifundia, dant operam mercaturæ, & quæstus faciunt haudquaquam sordidos, sed magnos, mediusfidius, atque uberes.

neque enim apud nos, qui habent pecunias, eas enumeratas in arca comprimere ſolent, ſed aut in nominibus habent, aut in mercibus collocatas compendii cauſſa tenent navi, atque induſtrii, & ſui negotii bene gerentes. Hinc civibus fere omnibus, non tantum principibus Civitatis, ſed etiam ſecundo, & tertio loco natis, multa, & lauta ſupellex, vis magna argenti, veſtiſque tum ſtragulæ, tum ad corporis tegumentum, omniumque rerum, quas vitæ politioris cultus poſcit, abundantia, & copia. Videas ubique in urbe aromatum, cæterarumque mercium peregrinarum apothecas refertiſſimas, omneſque opificum officinas copia redundare. Et quoniam concedunt etiam graviſſimi Philoſophi, opes eſſe expetendas ad vitæ honorificentiam, cultumque tum publicum, tum etiam privatum, atque domeſticum, cives noſtri ſemper privatam luxuriam oderunt, diligunt publicam magnificentiam; cui licet in publicis muneribus ſtudeant, potiuſquam in vita quotidiana, atque aſſidua, non tamen in quoquam requiras etiam ſplendorem pro fortunis, ac celebritatem domeſticam, in quo potius laudes elegantiam, & induſtriam, quam ſumptum. Si quando tamen ſumptus tranſcendere videntur modum in apparatione domeſtici victus, ac cultus id ſæpe evenit quod noſtri Cives maxime hoſpitales ſunt, & in externos liberales. Habita ſemper fuit ubique Cremona Civitas multorum hoſpitum, qui nuſquam liberalius tractantur generoſa quadam animi magnitudine, natura omnium fere animis inſita. Neque apud nos ullus eſt, qui hoſ-

hospitem a se non bene acceptum dimittat. Cuncti quæcumque habent cum amicis libenter communicant. Quæ res sæpe caussa fuit ut viri gravissimi Civitatis ad rogationem Legum sumptuariarum recurrerent, easque olim promulgatas, mox paullatim antiquatas renovarent, ne in privatum usum extra modum sumptus prodeant, nunc funerum, & sepulcrorum, nunc nuptiarum, & parentalium, cætetorumque conviviorum, atque epularum sumptum, magnificentiam quoque vestium, & ornamentorum, tam marium, quam fæminarum luxuriam coercentes. Hinc fit, ut omnem alti, ac generosi animi splendorem in popularium munerum magnificentiam, & sumptum transferant, inprimis in supplicationibus Divorum sumptuosi; in excipiendis vero Regibus, & Magistratibus nulli æquali Civitati magnificentia, & apparatione cedunt. Tunc forum, tunc omnia templa, & delubra, omnes viæ atque omnes urbis portæ ornatu magnifico adornantur, honorifica totius Civitatis ostentatione, auro, argento, ebore, veste, magnificis operibus interpicta, pretiosaque, & plena artis, affabreque facta supellectile, tabulisque, & signis lautissime pictis. Tunc Leges sumptuariæ omnes silent. In adventu Regum ipsorum Cives nostri sibi gaudent oblatam occasionem exercendi, ostentandique in hospites, cuique in suum liberalitatem, generosamque animi amplitudinem. Et cum jubentur a Magistratibus dari hospitibus, qui Regem assequuntur, nihil præter tectum, lectumque, & lintea, cæteramque supellectilem, illi addunt ultro abundanter, non tantum

fænum, ligna, & quæ lege Julia militibus dari solent in hybernis, verum eos omnibus rebus sua impensa lautissime accipiunt. Quid dicam de Juventutis nostræ apparatissimis, magnificentissimisque ludis sub lupercalibus diebus? videas cunctas Civitatis principes familias, quarum copiosa sunt, & lauta patrimonia in edendo suo quamque munere occupari, omnesque eniti summis opibus, ne alia ab alia splendore superetur. Nihil uspiam alibi præclarius, nihil luculentius; omniaque cum elegantia, & copia. Atqui ista quidem levia sunt, & ludicra, parum etiam fortasse digna, de quibus in hoc loco, in tanto, tamque illustri hominum conspectu tantopere verba facerem. Verum provocatus insigni adversariorum impudentia non potui me continere, quin contra Civium meorum præscriptum de iis quoque rebus, quas minimi facimus, aliquid dicerem, ne de cætero copia cum egestate confligere cogeretur. Porro hic verum esse, quod vulgo ajunt, expertus sum, unum hominem, qui insaniat, satis uberem materiam sufficere, ut plurimos insanire faciat. A me illa potius dicenda erant de nostrorum Civium erga indigentes, qui alienas opes expectant, nescio dicam ne liberalitate, an potius benignitate, aut pietate, quanta diligentia semper usi sint, ut in Civitate vilitas annonæ aut fieret, aut remaneret, ne quis frumentum, cæterasque fruges compressas teneret, sed quod quisque habet venale exponeret, quanta impensa, atque industria in Caritate annonæ comportari aliunde frumentum proposito mercatoribus præmio pro-

procurent quod egentibus abunde suppeditent, ut sæpe ex summa inopia, reique frumentariæ angustia maxima illico vilitas consequatur, præter publica diversoria, quæ apud nos ad antiquæ Religionis rationem & plurima instituta sunt, & opulentissima, unde homines, qui aliorum misericordia vivunt, alimenta petere possint. Et ut obiter in omnibus Orationis partibus de optimis majorum nostrorum institutis, deque optimarum Legum, morumque, & disciplinæ sanctitate sparsim agam; quod unum erat ex illis septem, quæ initio actionis proposui; cum res frumentaria durior est facta, cæpitque ingravescere annona, publico instituto habentur egentium delectus, etiam nolentes coguntur tanquam milites quasi per decurias vicatim sacramento nomen dare, quicunque sunt afflictæ fortunæ. Ubi vero quotquot reperiuntur in Civitate inopes generatim conscripti centuriatique fuerint, ditioribus omnes adscribuntur, commendanturque distribute alendi, quotquot quisque non incommode, aut gravate alere possit, habita census, & cujusque fortunarum ratione, quos alacres omnes accipiunt sine ulla recusatione, aut excusatione. Hoc nexu in familiis nostris tanquam ascriptitii aluntur interdiu, atque etiam, si eis placet, nobiscum pernoctant, donec ubertate agrorum vilitas annonæ consecuta fuerit. Cavent etiam summopere Cives nostri, ubi in angustiis ærarii onera, ac pecuniæ Civitati imperantur, ne exigantur per capita, quod semper nostra Civitas iniquissimum duxit, abhorruitque, sed ex censu potius, & quod ajunt, per æs, & li-

libram, fieri exactionem probant. Si quando tamen durissimis temporibus summa cogente difficultate nummaria, impendentibus infinitis sumptibus a provinciæ quæstoribus in capita, & familias imperatum fuerit, cum etiam e fanis pecuniæ tolluntur aperto sanctiore ærario pro illis, qui propter afflictam fortunam solvere non possunt, ditiores inter se onus inopum fere semper partiti suscipiunt, ex censuque libenter iterum conferunt, quidquid residui debetur ipsis egentibus stipem elargientes, unde, si velint, quo sese ipsi dissolvant, ne forte si exactoribus pro aliis ditiores semper parati penderent magnam mancipum avaritiæ ansam præberent adversus eos, quorum inopiam, atque imbecillitatem sublevare student. Non minori fere liberalitate, ac pietate Civitas nostra prosequitur Sacerdotes, qui rebus divinis præsunt, sacrificiaque tam privata, quam publica, & religiones, sanctitatesque, quæ sunt in more majorum interpretantur, & nobis Deum placatum sanctimoniis reddunt. Nunquam cogunt eos tributa cum populo pendere. Militiæ, militariorumque munerum vacationem, atque omnium rerum immunitatem libenter tribuunt. Neque eos tabulis profiteri, censerive, neque eorum prædia esse, ut cætera, vectigalia, tributariave patiuntur. Hinc equidem crediderim potissimum fieri, ut Deo optimo maximo, cujus est rerum humanarum procuratio, respiciente ad hanc propensam Civium pietatem, omnia fere semper prospere procedant, secundaque eveniant, & quidquid agendum instat, bene operam ponant, remque plurimum

mum ex ſententia gerant, & omnia eis eant ſecundo fortunæ flatu, plus pluſque in dies opum, & virium addatur. Hinc Civitatis proſpera ſemper, & quaſi æquabilis perpetuaque fortuna tot annos duravit. Si tamen, eadem fortuna paulo variante, aliquando in duriuſcula tempora incidimus, Diis volentibus, juvantibuſque, & menti Civium ſemper lumen præferentibus, ſtatim emergimus, & ad priſtinum ſtatum, fortunamque revertimur. Neque nobis profecto adverſarii occurrere & reſpondere poſſunt, hunc Civitatis noſtræ ſtatum, hanc opum, ac copiarum mediocritatem repentinam eſſe, novamque, & nunc primum Cæli favore nobis eſſe conflatam, cum ab ipſa quaſi urbis origine ſemper fuiſſe Cremonam in aliquo numero compertum habeamus locupletiſſimorum ſcriptorum perpetuo teſtimonio. Superius Polybii, Liviique, & aliorum hiſtoriam ſcribentium monimentis clarum eſſe demonſtràvimus, tempeſtate Annibalis Poeni, Cremonam, cum primum deducta fuit a Romanis Colonia, jam tum fuiſſe fortunæ muneribus ampliſſimam, omnibuſque rebus auctam, atque ornatam. Cornelius Tacitus quoque agens de temporibus Vitellianis cum dixiſſet, Cremonam tunc forte confluxiſſe magnam partem Italiæ ſtato in eoſdem dies mercatu, ſubjicit, tempus quoque mercatus ditem alioquin Coloniam majorum opum ſpecie compleviſſe, urbem deinde militibus, Flavianis Antonio duce poſt longam obſidionem captam, atque direptam ad prædam totum quatriduum ſuffeciſſe refert. Quantum præterea opibus, & copiis ea Civitas

redun-

redundet præ Papiensium municipio, vel ex facie ipsius urbis cognosci potest, in quo ipso etiam est quædam quasi dignitas, cum speciem regalis prope Metropolis præbeat, ut hinc quoque se nobiscum Papienses minime conferre possint. Principio optimo loco sitam esse liquet. Est enim, ut omnes non ignorant, inter Padum, & Ollium flumina, præterfluentibus etiam aliquam partem ejus agri Adua, & Serio, in mediterraneo tractu, locis campestribus, lata planitie, atque æquabili, tantum remota a Mari, ut a piratis sit tutissima, neque tamen Maris commoditatibus omnino careat, quod Padus nobilissimus Italiæ amnium muros alluit, & in Mare superum multis amnibus auctus influit, per quem variæ merces adverso flumine maximis onerariis, actuariisque navibus ad nos comportari possint. Tanta, & Cœli, & soli clementia, ac temperatione, ut divina quadam vi optima hominum acutissimorum ingenia, ut infra demonstrabimus, semper produxerit, producatque in dies magis, ac magis. Porro est natura, ac situ non tantum communito, sed etiam ad aspectum præclaro, conspicua descriptione ædificiorum, & pulcritudine in primis nobilis, ut nemo sit, qui ad primum aspectum non exclamet, præclaram, Jupiter, ac plenam dignitatis urbem! præclare sane ædificatam eam ubique est videre pro regionis facultate, & natura; est enim ferme tota lateritia propter difficultatem vecturarum, quod procul a nobis sint montes, & saxeta. Sed ex lateribus affabre sectis, & expolitis visuntur ubique præclara ædificia tam privata,

ta, quam publica. Dicite per Deum, Papienfes, quid poteftis in municipio veftro conferre cum arce illa noftra munitiffima, atque inexpugnabili, triplici muro circumdata, ubi tot, & tam firma Caftella, & propugnacula, ubi tot ænea variæ magnitudinis tormenta, tot refertiffima armamentaria, tot machinæ, totque inftrumentorum bellicorum officinæ? Hanc unam arcem Francifcus Sforcia II. vir acutiffimus vocare folebat fui imperii firmamentum. Quid quæfo, Papienfes, veftræ urbis confpicuum, atque oftentatione dignum commemorare poteftis, cum nos plurima præclara habeamus, & inter illa quidem aliquid non modo rerum omnium præftantia excellens, fed unicum plane, & fingulare? Video, Patres, adverfarios meos fubridere, & inter fefe obfcura fufurratione mihi innuere, fe expectare, ut quamprimum aliquid de nobiliffima illa Pyramide, qua nullum ufquam opus vifendum magis reperiri poffit. Hic faceti haberi volunt, rifuque ineptiffimi dignitatem rei, quæ nullam habet comparationem, detrahere conituntur. Ea fi extitiffet temporibus antiquorum Græcorum, cum vigeret eloquentia, arbitror addidiffent octavum feptem mundi mirabilibus, aut fortaffe detracta ab eo numero Pharo, quæ erat in Ægypto, feptimi miraculi loco haberi potuiffe, cum longe antecellere exiftimetur quicquid unquam ufpiam turrium fuerit magnitudine operis, proceritate, firmitudine, forma, atque artificio. Decreveram, Patres, id opus nobiliffimum ad totius Orbis terrarum miraculum fpectaculumque factum, tacitum præterire. Ducebam enim fatius il-

illibatum omnino relinquere, quam de eo pauca dicere, cum opus per se sit toto terrarum orbe fama celebratissimum. Verum adversariorum scurrilitas hæc utcumque me dicere adegit, ut suam huic confessui detegerent insulsitatem tam abs re cavillati. Poteram equidem hance, & complures alias turres eis remittere cum plurima alia ædificia tum publica, tum privata non infabre structa nobis suppetant, quæ illis opponere possemus; forum maximum, pulcherrimæ porticus, amplissima Curia, publici Consilii sedes, Templum præclarum urbis maximum, cæteraque divorum immortalium fana, ac delubra, non modo antiqua, sed etiam recens constructa, & nunc etiam surgentia ad antiquorum Græcorum laudem, signis quoque, & tabulis, ebore, auro cælato, & argento, corinthiisque operibus ornatissima. Prætoria item duo vetustissima, basilicæque amplissimæ Regibus hospitio suspiciendis destinatæ. Ad hæc, præter delubra sanctissimis Religionibus consecrata, ædes sacræ visuntur præclarissime ædificatæ, ubi variæ Sacerdotum sectæ vitam cælibem ducunt, homines a vulgari vita sejuncti, atque semoti, sacrisque voto perpetuo alligati, communia omnia habentes, religionesque, & sanctitates a majoribus nostris adinventas tuentur, traditasque a Pontificibus sententias, atque opiniones divina quadam reconditarum literarum scientia integras, intactasque custodiunt. Cernuntur nunc etiam fundamenta præclarissimi gymnasii barbarorum variis injuriis diruti. Vidi ego quoque ipse vestigia quædam illius antiquissimi, nobilissimique

templi

templi Mephtis Deæ, cui uni ante mænia posito pepercisse flammam Cornelius Tacitus refert, cum urbs omnis concremata a militibus Flavianis concidisset. Existimatur etiam reliquias apparere illius amphitheatri, ad quod extruendum paulo ante relictos fuisse Cremonæ milites Othonianos idem Tacitus scribit. Post ædium Sacrarum, publicorumque Operum ædificia non sunt contemnenda privatorum domicilia non tam opere, aut arte insignia, quam usu, & habitatione accommoda. Quippe, quæ parentes nostri, majoresve nobis constructa reliquerunt non sunt ita laute fabricata, uti ea, quæ his temporibus ponimus. Nunc enim strenue ædificatur apud nos Græcorum artibus, atque præceptis, fiuntque omnia ad antiquorum rationem propter copiam hominum nostrorum, qui ea optime callent, ut infra dicemus, cum de Civium nostrorum ingeniis, artibusque agemus. Nulla via, nullus vicus, aut angiportus tibi occurret, in quo non admireris speciem regiæ urbis: memini olim, Patres, vestrum aliquos, qui in ea Civitate fuistis cum prætoria Potestate, mihi dixisse, sibi eam urbem videri quodammodo exiguum simulacrum, & instar Mediolani. Ea insuper studia ædificandi in Civitate nostra nunc esse conspicio, adeoque civium animos esse accensos, percupidosque certatim in Patriam congerendi omnia ornamenta, ut intra paucissimos annos sperem eam futuram urbem, ubi omnia rerum excellentium exempla invisantur, modo otiosa, & pacata in hac pace, & tranquilla libertate permaneat, quam nobis promittere videtur

tur


tur Cæsaris incredibilis, eximia, ac divina virtus, qui omnes suas cogitationes, omnia studia, omnem operam, mentemque omnem in republica conservanda, amplificandaque jamdiu fixit, qui toties barbarorum impetus crudeles, ac furibundos sua virtute retardavit, totiesque dimicatione, ac periculo vitæ suæ immanem, ac fædam hostium crudelitatem a jugulis nostris avertit, dignus potestate, & omnium rerum dominatu. Quibus vero urbs nostra operibus, munitionibusque antiquitus septa fuerit, non est quod hic elaborem, cum adhuc firmissima mænia durent, interque Italiæ munitissimas urbes habeatur Cremona, tenuique præsidio, atque exigua manu defendi possit, operibus, ac munitionibus satis per se tuta. Dixi etiam superius de agri optima cultura, cum de ubertate terræ in contentione, & comparatione utriusque regionis differui. Adde amænitatem, & salubritatem illius tractus. Quis posset Oratione pro dignitate complecti tot irrigationes, quibus Papienses omnino carent, tot prata, tot rivos, tot amœnissima vireta, tot quasi urbanas Sylvas, fructuosissima pomaria, ubi selectæ, ac generosæ arbores, e diversis, longinquisque mundi partibus ascitæ, optimaque ratione in quincuncem positæ non tantum ubertate fructuum utilitatem, verum etiam ad aspectum voluptatem præbent. Ubi quæso, terrarum vineta, & arbusta, quæ gallica vocant, rectius dispositiusve, atque descriptius digeruntur? quid de villarum laute ædificatarum commoditate simul atque elegantia? Id unum in summa dictum volo, rus ipsum Civitatis dignita-

ti

ti præclare respondere. Jam videtis, Judices, quantum Cremonenses Papiensibus præstent urbis antiquitate, originis nobilitate, frequentia civium, censu, opibusque, & plurimarum rerum copia, soli ubertate, atque felicitate, urbis amplitudine, & splendore, ædificiorumque, & operum magnificentia, plurimisque munitionum præsidiis, quibus omnibus rebus Cremona Papiam longe inferiorem esse demonstratum fuit iis, quæ hactenus a nobis disputata sunt diffusius fortasse quam necesse erat: nihil tamen extra caussam a me dictum arbitror, cum mihi retundenda esset eorum arrogantia, atque insolentia, qui suam novitatem, ignobilitatem, solitudinem, inopiam, squalorem, cum antiquitate, nobilitate, frequentia, opibus, splendore honestissimæ Civitatis tam intoleranter ausi sunt conferre, nihil veriti hominum judicium. Aliqua etiam interdum inspersimus de Civitatis nostræ moribus, optimisque legibus, & majorum institutis, quibus auditis adversarii, si naturæ communi, ac vulgari sensu uterentur, non me ulterius progredi sinerent, sed deposita superbia, atque audacia iis contentionibus inposterum finem facerent, & socias civitates quiescere in otio permitterent, dimoverentque a nobis hanc totam molestiam. Restabat ut in collatione utriusque Civitatis differerem de iis, quæ posita sunt in sola virtute, a qua omnis recte factorum oritur gloria, nam in iis, quæ superius memoravimus, tenet aliquam partem etiam fortuna, licet pleraque tam urbis, quam ruris ornamenta con-

stare


ſtare non poſſint ſine hominum vi, atque induſtria. At vero quoniam virtutis ipſius nomen late patet, plurimaque mihi dicenda ſunt in comparatione præſtantium virorum utriuſque Civitatis in omni virtutum genere, ut ratio occupationum veſtrarum a me aliqua habeatur, cæteram omnem orationem ab hujus diei actione ſejunxi, & in craſtinum rejeci.



CRE.



CREMONENSIUM
ACTIO SECUNDA.
Adversus Papienses in Controversia Principatus.



Uoniam, Patres, in iis rebus, quibus hesterna actione planum feci, Civitatem nostram Papiensi municipio longe præstantiorem esse, fortuna aliquem locum obtinet; ne Papienses objicere possint nos commendationem quęrere solum ab iis, quæ non sunt nostri, neque juris, neque arbitrii, sed quæ videntur posita esse in fortunæ libidine, quam Philosophi insanam esse, cæcam, & brutam prædicant, saxoque instare perhibent globoso, atque volubili, & ubi collibuerit, repetere ab hominibus ea, quæ dedit, sæpiusque ad nutum summa fundo vertere; infimaque in altum tollere, & pro libidine tandem omnia exæquare, possem remittere, & condonare adversariis omnia, quæ proxima Oratione de opibus, ac rerum copia disserui, quamvis majores nostri pręsertim Jurisconsulti, sapientissimi viri uno verbo omnia compen-

dii caufsa complexi, bona, ut diximus appellarunt, fummi quoque Philofophi, ut Xenophon, & Ariftoteles libros confcripferunt de re familiari tuenda, quæ ab homine non eft contemnenda, dum tamen fit miniftra, & corporis famula; eis etiam condonare poffem eorum urbem a noftra facile antecelli tam antiquitate originis, quam conditorum nobilitate, longeque civium, & incolarum frequentia anteiri, nec tantum eos opibus, ac copiis, verum etiam fplendore, urbifque amplitudine, & operum magnificentia multo effe inferiores: poffem parvipendere omnia, quæ heri demonftravi nobifcum facere, ut incertas, & in cafu pofitas poffeffiones, tanquam fortunæ ludibria, cum multa alia Civitatem noftram commendent, præftantemque faciant, in quibus nullam, vel certe exiguam partem tenet fors, & ipfa fortuna, quæ neque eripi, neque unquam furripi poffunt, & neque naufragio, neque incendio amittuntur, neque tempeftatum, aut temporum varietate mutantur. Poft igitur contentionem fortunarum, & eorum bonorum, quæ extera nominantur, ne utrique dumtaxat ex fortuna, aut genere, fed etiam ex virtute pendendi fimus, conferamus invicem, quæ propria noftra dicuntur; conferamus, inquam, de utriufque Civitatis hominibus agendo, optimarum artium fcientiam, & maximarum rerum gloriam, quæ tota a virtute proficifcitur, adducamufque in aciem, & difcrimen præftantes Viros virtutis, ac fapientiæ gloria: ad quam Orationem, Judices, magna fpe ingredior; facilem enim mihi propono, atque auguror victoriam, quod

fciam

ſciam me cum inermi, & imbelli pugnare, quod illico conſtabit, cum primum lucem noſtram cum illorum tenebris comparare cœpero. Verum priuſquam, Patres, bellicum canatur, & antequam ad illam concurſationem, contentionemque perveniam operæ pretium mihi videtur quæpiam de Civitatis noſtræ moribus, optimiſque inſtitutis præfari. Eſt enim unum ex ſeptem illis, quæ initio Orationis propoſui, dixique ea efficere poſſe, ut altera Civitas alteri præferatur, quam partem præfatus ſum modo, me in tota Oratione ſparſim tractare velle. Nondum, Judices, apud viros plurimarum artium ſcientia inſignes ſatis exploratum eſt, Cœli ne ſimul, & ſoli vi quadam naturali eveniat, cur in eo tractu, ubi urbs noſtra ſita eſt, plerumque homines acutiores, & vegeta quadam mente præditi naſcantur, quorum late fere ſemper patet induſtria, an id educationi aſcribendum ſit potius in Civitate bene inſtituta, in qua majoribus noſtris antiquiſſimum ſemper fuit optimas leges, quæ æquitate temperatæ ſunt firmiſſima vincula Civitatum, ſciſcere, inducereque, ac retinere ampliſſimam bene vivendi diſciplinam tam vita, quam literis, ut eam civitatem, quam a ſuis majoribus honeſtam accepiſſent, ſuis poſteris ſemper meliorem relinquerent tanquam nati ad laudem viri. Operam in primis darent, ut in Civitate optimę artes ſemper eſſent, exercitationeſque virtutum, quo viri per ſe ſemper acres, atque induſtrii in literis verſarentur, & diſciplinis, quibus exculti, variaque doctrina perpoliti ad ſtudia ſummæ laudis accenderentur, patriæque, cui omnia debemus, con-

ſilio, & auctoritate difficillimo quoque tempore prodeſſe poſſent; quæ cura, atque inſtitutio ab urbis incunabulis per omnes ætates in noſtris civibus perpetua quadam ſerie tanquam propagata duravit, duratque ad hæc uſque tempora, perſeverabitque etiam, ſpero, in poſterum benigno quodam cœli aſpectu nunquam eam ſoli partem deſerente, quam Leonis aſtro Soli conjunctiſſimo ſuppoſitam, ſicut etiam Romam, a qua originem ducimus, ferunt ii, qui diuturna cœli, ſiderumque obſervatione deſcriptiones Chaldçorum norunt. Eſſeque in tutela præcipua inter ea ſidera, quæ errantia videntur, Mercurii, & Martis, Jove nunquam nos non fovente, unde fieri neceſſario contendunt, ut ea Civitas fuerit ſemper non minus bonis, artibus, quam mænibus exaggerata, extiteritque religionis, virtutis, ſcientiæ, & optimarum artium perpetuum quaſi domicilium, omnem curam illam, & inſtitutum divinitus in animis noſtrorum civium inſeri, ut omne ſtudium navent, quo ingenui adoleſcentes tam Græcorum, quam noſtrorum monimentis, & literis inſtructi boni ſint, & cumprimis honeſti, atque iis artibus, quæ liberos homines decent, imbuantur, polianturque educati in alicujus hominis doctiſſimi, ac moderatiſſimi diſciplina. Hinc fit, ut non ſolum virtutis in bello, ſed etiam doctrinæ ornamentis, ac præſidiis in pace in omni genere, & varietate, artium etiam illarum, quæ non ſine ſummo ocio facile diſcuntur, plerumque cives noſtri excellant, ut neminem invenias plane alienum a literis. Omnes ut primum ſapere inci-

cipiunt, ſapientiæ ſtudio, ac cupiditate flagrant; Hinc evenit, ut rectiſſimis ſtudiis detenti, atque occupati, repudiatis libidinum illecebris, non totam adoleſcentiam voluptatibus dedant, laſciviæ, & luxuriæ frena laxantes, ſed ſe abdicant illis vitiis, quibus ea prona eſt ætas, cum omnis eorum impetus ſit ad laudem, jamque in eo ætatis flexu apud illos omnia dignitas poteſt; ea vero vitia, quæ adoleſcentiam, cui ineſt maxima imbecillitas conſilii, inſectari ſolent, raro in noſtra juventute reperias; æs alienum, petulantiam, libidines, adulteria, inconceſſos amores. Vitantur ab omnibus æqualibus adulteri, impudici, ſequeſtres, aleatores; quod quidem eo majori laude dignum duco, quo natura ipſa ſoli ubertate, & rerum copia, ac ſaturitate, plura, & majora blandimenta ſubminiſtrat voluptatibus, quibus interdum ſopita virtus connivere ſolet; opum enim abundantia multas vias lubricas ſemper adoleſcentiæ oſtendit. In Civitate noſtra quocumque te vertas videas confertiſſimos adoleſcentium cœtus de virtute, de officio, deque omnibus, quæ mandata ſunt literis ad omnem humanitatem ſpectantia, differentes, diſputanteſque, donec creſcente ætate evadant inprimis temperatis moribus inſignes, humaniſſimi, honeſtiſſimi, rectiſſimiſque ſtudiis, atque optimarum diſciplinarum præſtantia excellentes; neque in noſtra Civitate unquam contingit videri, aut audiri illa immania ſcelera, aut tragica portenta, quæ ad nos aliunde perferuntur, adeo tetra, & obſcæna, ut animus ea referre refugiat. Ubi igitur paulum roboris acceſſit ætati,

ſe noſtri homines aut armis, aut literis applicant: aliqui etiam verſantur in republica ſumma laude in rebus gerendis viri acres, & induſtrii, prius literis ad omnem humanitatem exculti; de duobus extremis poſt dicam, ſi tempus ſuppetet, aut adverſarii patientur, me de re Militari diſputare, nec potius ultro nobis cedent ingenue ſe victos eſſe confeſſi, ne in omnibus rebus nimium ſibi arrogare videantur. Porro de literis, deque optimarum artium ſtudiis, quæ in umbra, & ocio tractantur, nunc inſtat nobis agendum. Ex iis, qui in umbraculis Philoſophorum [Philoſophiam enim non tantum late, ſed etiam latiſſime, & ubique patere duco] abducti curis verſantur, alii ſe complures ad jus civile, alii ad eloquentiam conferunt. Id autem dico de iis, qui honeſto loco ſunt nati; nam de aliis, qui ſunt humilioris loci, ac fortunæ; poſt ſtatim ſubjungam; nec etiam ab Oratione noſtra ſummovebo artes, artificeſque inferioris ordinis. De Jure civili igitur, quod ſemper apud omnes nationes in pretio fuit ob maximarum utilitatum fructum, quas hominum vitæ ſemper tulit, placet ne nobiscum, Papienſes, experiri, ut hæc ſit de virtute agendo, prima quaſi velitatio? Scio non detrectabitis certamen; ſed potius in aciem, atque diſcrimen ſumma alacritate, ut video, prodire geſtitis, vobiſque fortaſſe videmini in regno veſtro, ut ille ait, fore tutoque, ac ſine adverſario poſſe luctari propter Gymnaſium, & provinciȩ Academiam, quæ apud vos publica pecunia provinciæ, ut infra dicemus, inſtituta fuit, quo ſemper magnus

eſt

eſt concurſus juriſconſultorum adventitiorum, qui a Cæſare ob commoditatem totius provinciæ conducuntur, ut, non tam veſtram, quam ſociarum urbium juventutem in hujus facultatis ſtudiis erudiant. Sane, ſi unquam in ullo ſtudiorum genere aliquid, Papienſes, fuiſtis, in hac ſcientia vos non nihil eſſe vobis videri poteſt. Quid, ſi convincam vos, reque ipſa demonſtraro vel in hoc ſtudiorum genere præ Cremonenſibus nihil eſſe, aut ullo unquam tempore fuiſſe? Numquid cauſſæ erit, quin in omni alio diſciplinarum genere victi, danteſque ultro manus ab hac arena diſcedatis? Poſſem, Judices, in hac dignitatis, & honoris dimicatione, ſi callide, atque artificioſe agere vellem, imitari optimorum imperatorum artes in belligerando, qui cum ineundum eſt prælium, in primo congreſſu, non protinus omnibus copiis confligunt, neque ſtatim omnes vires advocant, ſed ut in puerili exercitatione quaſi ludicra, cum acutis calamis res agitur, levi, ut ajunt, brachio primum pugnantes certamen aggrediuntur, eminuſque crebris velitationibus, ac levis armaturæ excurſionibus hoſtem provocant, atque ad certamen prolicere conantur, demum accenſo ubique certamine totis opum viribus nituntur, atque omnes nervos intendunt, & firmamentum totius exercitus in pugnam ſufficiunt. Poſſem, inquam, in hac noſtra altercatione, cum de juris civilis ſcientia agamus, primo congreſſu verſute non totas opes noſtras explicare, ſed ab infimis incipiendo noſtros juris conſultos minutatim producere, & in finem optimos quoſque tanquam firmio-

ra cornua reservare. At ne, Judices, vos diutius teneam in re non magnopere necessaria, agam cum adversariis aperte, splendide, atque ingenue, nihil tectum, nihil veteratorium a me expectetis, ut in principio hujus actionis mihi proposui omnia bona fide facere, ac dicere. Non igitur eos longo, involutoque artificio callide frustrabor; neve vos longa jurisconsultorum nostrorum numeratione defatigem, multitudini parcens, tres primum e nostris nominabo diversorum temporum non mediocres quidem, aut gregarios, sed post hominum memoriam doctissimos, & præstantissimos, qui totam eam facultatem illustrarunt, quorumve præstantia Juris scientia amplissimam gloriam est consecuta; cum iis tribus si aliquem conferre possent ex omnibus, quos ex omni ætate habuerunt Papienses, nihil est caussæ, cur recusem, quin secundum eos in hac parte judicetis. Existimo, non negabunt Cremonensem fuisse Alphenum unum inter illos vetustissimos Jurisconsultos, ex quorum responsis totum jus civile a Justiniano Imperatore conflatum, atque in unum volumen redactum fuit, id tot veterum Scriptorum testimoniis comprobantibus, qui etiam si minus nobis suffragarentur, certissimo argumento esset, quod nunc etiam apud nos Alphenorum familia extat, imaginemque clarissimi Viri gentilis sui adhuc servant ex ære expressam, eamque interdum hospitibus, & peregrinis inter visenda Urbis ornamenta ostentare solent. Nominatur etiam adhuc in agro Cremonensi vicus Alphenus, quem ab ejus Viri nomine vocatum fuisse exploratum habemus.

Quem

Quem obſecro vos, Papienſes, inter eos antiquiſſimos Juriſconſultos, qui totius juris, quo nunc utimur, auctores apud Latinos fuiſſe comprobantur, huic noſtro opponere valetis? Hic unus ſatis eſſe poſſet, ne vos amplius in hoc ſcientiæ vel induſtriæ genere laboraretis, ſi quis eſſet in vobis ſenſus. Alterum, non equidem illius ordinis, aut claſſis, ſed aliquot poſt annos ſecutum, vetuſtiſſimum tamen Joannem Baſſianum ſuorum temporum lumen juris civilis appellatum adduco. Floruit enim anno a partu Virginis M. CC. Fuit præceptor Accurſii, & Azonis præclariſſimi Jureconſulti, ante quem totum jus civile, quod latiſſime diffunditur, in breve volumen, quaſi præciſum corpuſculum redegit, eamque quaſi viam proximam, & compendiariam ad legum ſcientiam poſteris commonſtravit; enodavit inſuper ſparſim multa, quæ tam in priſcorum Juriſconſultorum reſponſis, quam in Principum placitis in Codice Juſtiniani Imperatoris deſcriptis magis involuta, ac difficilia tanquam gloſſemata quædam, ac legum myſteria videbantur, eaque omnia plana, atque illuſtria fecit brevibus, ac conciſis expoſitionibus, quas mox poſteriores uſque in præſentem diem quædam ad eas illuminandas tanquam accenſa luminaria ſemper tranſcribi faciunt in omnibus ipſarum Legum voluminibus. Hinc eum Angelus Peruſinus Legum interpres, ſuo dicendi more loquens, juris lucernam appellat, & Mundi ſpeculum. Ad hunc, quæſo, quem mihi, Papienſes, adducetis? Nihil ne videtur vobis nos dicere, cum hos præſtantiſſimos, ſummique ſubſellii Viros

tros vobis objicimus? Qui, quæso, ii vobis videntur? sunt ne tales, quos præ vestris contemnatis?

Tertium addo honorifica semper cum nominis præfatione nominandum Ricardum Malumbram, cujus admirabilem quandam, & incredibilem, & pene divinam in legibus interpretandis, æquitateque explicanda scientiam Bartolus, & Baldus, cæterique posteriores legum interpretes passim in suis commentariis summe admirantur. Antonius Butrius autem antiquus Jurisconsultus plane attestatur, eum fuisse omnium jurisperitorum suæ ætatis doctissimum. Accepimus Patavii publice maxima auditorum frequentia, atque concursu jus civile interpretatum fuisse anno a partu Virginis M.CCCX. Bartolus idem insuper eum testatur maximis honoribus cohonestatum fuisse, & in Sacerdotum Cardinalium Collegium ob eximiam virtutem cooptatum refert. Respublica, Senatusque, & populus Venetus utitur adhuc legibus, quas ille eorum voluntate, ut alter Solon, aut Lycurgus luculentissime præscripsit. Domus tam præclari Viri cum honestissima familia hodie etiam apud nos visitur, ejusque natalem sedem mira quadam quasi religione veneramur. Hic paulum subsistam. Expectabo quosnam vestros invicem adversus hæc tria Legum lumina excitabitis a mortuis? quid hæretis oscitantes? quid trepidatis Papienses Viri? hiscite hic tandem. Ubi nunc illa vestra arrogantia, & intolerabilis ostentatio? ubi nunc gymnasium illud vestrum, quo intoleranter elati omnes sociorum urbes præ vestra despicitis? evocate ab inferis aliquos, qui saltem nostrorum trium uni conferri pos-

possint. Non arbitror vos tam excordes, aut deliros, ut vobis in mentem veniant vestri nescio qui Sacci, Curtij, Opizonij, & Ripij, quorum aliquos modo vivos vidimus alioqui non contemnendos, nihil tamen ad nostros; in tali enim discrimine non defensoribus istis Tempus eget, ut illa ait apud eximium poetam. Ad istos vestros nominare possem quamplures ex nostris longe illis meliores, antiquioresve. Albertum in primis Gandinum, acutissimum suorum temporum Juris interpretem, cujus luculentissima Commentaria de Maleficiis leguntur: post hunc Gelliolum Cavitellium, virum ornatissimum, cujus responsis, atque sententiis subscripsit Baldus, & se astipulari ingenue confessus fuit cum honorifica tanti viri præfatione. Homobonum item, Nicolaum, & Hospertum, qui primus Perusiæ docuit Jus civile, plurimosque alios jurisconsultorum sua quemque ætate, principes, & Scriptorum testimonio illustres. Pene præterivi, copia fatigatus, præstantissimum juris civilis interpretem Cremonensem Martinum, qui eodem ferme tempore, quo Joannes Bassianus floruit, nulli jurisconsulto suorum temporum secundus; ipse etiam ea, quæ in toto Jure erant magis abstrusa, atque obscura, interpositis quibusdam interpretationibus contractioribus illustravit, quibus hodie tanta fere est auctoritas, quanta ipsis legibus propter certam, atque constantem viri præclarissimi doctrinam. Excutite omnes ætates; scrutamini omnes veterum, recentiorumque annales; neminem reperietis, scio, qui cum istis etiam, quos vos ipsi attulistis, con-

fe-

ferendus sit: bonos sane homines fatemur, neque omnino ingenio, aut literis carentes, quosve etiam in aliquo honore inter Jurisperitos sui temporis fuisse assentimur, attamen in mediocrium numero habitos dicimus, neque tales, qui ex ejus scientiæ laude possint ad nostros aspirare, nempe non multum interpretandi juris laude processerunt. Tales ego equidem nostrorum vel sexcentos ex omni ætate vobis nominare possem. Sed nihil agitis. Qui hic sedent, & adsunt in consilio, sunt etiam ipsi Jurisconsulti, & ii quidem lectissimi, emunctæ naris, & exquisiti judicii; teretes aures habentes non omnia passim probant; rara quædam volunt, in quibus sit quædam excellentia; nihil non elegans, nihil non lautum, nihil non selectum, & conquisitum admittunt: Desiderant in hac tanta dimicatione viros singulares, cujusdam raræ, & reconditæ doctrinæ, industriæque elegantioris magna præstantia, excellentiaque reliquorum insignes, non minutulos quosdam legulejos è media turba sumptos. Ecquid in nostris habetis, quod non summe probetis? de illis loquor, quos modo, omissis cæteris, tanquam tria legum lumina, & ornamenta, principio vobis proposui, addito mox etiam quarto, quem omiseram. Si municipii vestri omnes viæ, omnes vici, & angiportus, omnia fora, & templa passim leges ebullirent, nihil adhuc contra hos proficeretis. Quod si nos ad hæc tempora vocabitis, recentioresque Jurisperitos, & eos, qui adhuc vivunt cum nostris conferre malueritis, eodem revolvemini; idem vobis in novis, qui in veteribus,

bus, exitus est futurus. Opponitis nobis quempiam, qui honesta mercede conductus in academiis aliqua frequentia auditorum, leges explicat; inepte sane; eandem cantilenam semper canitis semper vestri similes. Exquisito inquam opus est, & excellente; non negamus profecto istum hominem haberi in doctis nostri temporis jurisperitis, in mediocriter doctis tamen. Vivit adhuc inter nostros, & viget vir admodum praeclarus exquisitae doctrinae, & non mediocris ingenii, qui multos annos longe majori auditorum celebritate, quam quilibet vestrorum in omnibus Italiae academiis hanc artem docuit, doceretque etiam nunc, nisi ob ejus virtutem a Francisco Sforcia ad aliud vitae genus longe praeclarius translatus fuisset, ut in vestrum ordinem cooptatus vobiscum majoribus caussis judicandis praeesset; postea, ut de Malumbra memoravimus, etiam ad altiorem dignitatis gradum sacris initiatus evectus est. Omitto immensam silvam Jurisconsultorum, qui aut etiam nunc sunt superstites, aut nostra, patrumque memoria fuerunt alicujus nominis; tum quod mihi proposui neminem nostrorum, qui adhuc vivat, in hac Oratione nominare, tum ut vobis viam praecludam, ne ex infima turba, & colluvione patronorum colligatis, quos huc obtrudatis. Ut tamen aliqua ratio etiam recentiorum a nobis habeatur, afferam constantissimam rationem, quam nunquam poteritis aut eludere, aut infirmare. Est cuique vestrum, Patres, satis exploratum, Franciscum ipsum Sforciam, quem saepe honoris caussa nomino, cum primum Mediolano, atque huic imperio

perio præfectus, fuit, omnem curam, ac diligentiam adhibuisse in Senatu cooptando, ut erat vir certi, exquisitique judicii. Omnis ejus cogitatio, atque intentio fuit, ut tam grave, sanctumque Collegium, primum ex optimis quibusque, ac præstantissimis conflatum esset, deinde ut in primis nostrates, hoc est, ex provincia sumerentur ad tantum munus, quibus tantam suæ ditionis, & imperii partem concrederet, tantumque magistratum mandaret. Ad tam exiguum numerum conficiendum statim multos in Civitate nostra reperit, qui hoc dignitatis gradu sibi digni viderentur, sed ne aliis provinciæ Civitatibus invidiosum foret, tres tantum excerpsit, nemine apud Papienses invento, quem sponte sua eo honore ornandum duceret. Conquerentibus tamen ob id Papiensibus, & enixe postulantibus, ne Civitatem suam ignominia tacite notaret, vix unum admisit; & coactus fuit ad externos se convertere, & de exteris hominibus numerum supplere; hanc ob rem memoratur Vir ille acutissimus cum aliqua animi commotione dixisse, Civitatem Papiensem simillimam sibi videri lapidis in via erecti, qui viatoribus iter quidem commonstrant, ipse autem nunquam movetur. Habere siquidem illos magnam ex academia, quæ est apud eos, commoditatem addiscendi, sed illam tantum esse usui aliis, ipsis autem, quibus maxime deberet, parum prodesse. Cum igitur nulli in Jure periti, neque veteres neque recentes vobis suppetant, quos in aciem adversus nostros, & plurimos, & præclarissimos adducatis, idest cum in hac contentione vobis

non

non omnia non desint, restat ut de juris scientia in hac concursatione ne verbum quidem posthac facere audeatis, Papienses, neque ullam hinc dignitatis commendationem ducatis omnibus rationibus ne dum victi, sed etiam obruti.

Veniamus ad Philosophiam, cujus nomen, propter ejus vim ubique diffusam, latissime manare dixi. Ecquem habetis in promptu ex aliqua ætate, aut memoria, quem adducatis in medium, cujus nomen per se sanctum sit, & venerandum? Ego quidem omnes fere Italiæ bibliothecas maxima cum diligentia perscrutatus revolvi; neminem unquam Papiensem, neque bonum, neque malum scriptorem in gravibus disciplinis offendi; edite vos, si quos habuistis aliqua præstantia excellentes, qui forte, cum essent doctissimi, contenti tamen suis latebris maluerunt sibi scire, quam alios docere, aut si alios quidem docuerunt, noluerunt tamen, ut de Socrate memoratur, quæ scirent, perpetuis monimentis, memoriæque hominum prodere. Agite, inquam, prodite si quem accepistis inter majores vestros fuisse alicujus nominis in aliquopiam genere disciplinæ, quæ a Philosophia emanet, aut etiam in Mathematicis, & in omnibus aliis artibus, quæ dignæ semper habitæ sunt homine libero. Ignoro hercle ego quemnam ex omni ætate hoc loco nominare possitis, nisi fortasse ad recentiores vos referatis, & Mathæum Curtium in medicina non contemnendum adducatis, quamvis fortasse occurrent illi, qui Clementis septimi immaturum interitum adhuc deplorant; fuerit utcumque tanti Pontifi-

cis

cis obitus; non omnes ſanat medicina, multoſque etiam abſque medici culpa interire eſt neceſſe. Quem alium aliquo literarum genere clarum afſere poſſitis, mihi plane nuſquam ſuccurrit, niſi velitis mediocrem quempiam de turba, & ex aliqua obſcuriore ſentina excerpere. At ego ſi quotquot noſtra Civitas creaverit in omnibus diſciplinis præſtantiſſimos recenſere voluero, erit difficilius hujus Orationis exitum, quam initium invenire. Seligam igitur, Judices, ex omni genere aliquos, quos fuiſſe excellentis doctrinæ, atque induſtriæ conſtat, neque adverſarii inficias ire poterunt, cum etiam illi ſint graviſſimorum ſcriptorum monimentis perpetuis commendati. Mihi (ut dixi) conſulto propoſui neminem noſtrorum, qui adhuc vivunt ad evitandam invidiam nominare, cum complures, eo ingenio præſtent, ea optimarum artium doctrina, ut doctiſſimi poſt hominum memoriam habeantur, quorum famam propter eorum ſcripta, nulla unquam obſcuratura ſit oblivio. Non enumerabo quotquot Cremona feraciſſima ingeniorum, noſtra, patrumque memoria, vel etiam paulo ſuperiore ætate tulerit viros præclaros in Theologia, cui uni tanquam omnium ſcientiarum reginæ cæteræ diſciplinæ, & Philoſophiæ partes omnes ancillantur adminiſtræ, atque pediſequæ. Poſſem hoc loco inter optimos theologos jure recenſere cives noſtros adhuc viventes, qui hanc ſeu ſcientiam, ſeu ſcientiarum quoddam quaſi columen, ad quam omnes aliæ referuntur, eloquentia cumularunt, atque latinis literis adhibitis oratoriis ornamentis ad omnem elegantiam, & ſplen-

ſplendorem, tum verſu, tum ſoluta Oratione illuſtrare pergunt, de quibus ſuo loco poſtea agemus. His igitur omiſſis, multitudinem quantum poſſum devitans, unum Euſebium antiquiſſimum Theologum adduco, qui fuit Hieronymi ſanctiſſimi Theologi diſcipulus, floruitque temporibus Ambroſii, & Auguſtini Antiſtitum, non minus doctrina, quam ſanctitate clarus, parque illis ipſis, quos modo nominavi, veteris ſanctitatis pariter, & doctrinæ exemplum, in quo cum nihil habere poſſitis, quod improbetis, neque cui parem conferatis, omiſſis Sicardo cive, & Epiſcopo Cremonenſi, nec non Gelelmo ejuſdem pariter urbis Antiſtite, qui primus Papiæ Theologiam docuit, Simone item Monacho, & Jo. Franciſco Faerno, quem ego vidi noſtris temporibus in ſacris literis pro oraculo haberi, cæteriſque quamplurimis ejuſdem ordinis, & claſſis theologis, tranſeo ad alias diſciplinas. Quotus, rogo, vobis videtur Apollinaris philoſophus? qui ex honeſtiſſima Orfidiorum, ſeu, ut corrupte dicitur, Offredorum noſtrorum familia, ingeniorum fertiliſſima prodiit, quique inter alia ſuæ exquiſitæ doctrinæ monimenta illos aureos Commentarios in libros Ariſtotelis de Anima conſcriptos edidit, quos uſitato jam proverbio ipſius Ariſtotelis Animam Philoſophi recentiores vocant, eoſque in Scholis ſimul cum iiſdem Ariſtotelis libris legentes, & explanantes, exoſculantur, & in deliciis habent, atque in oculis; eſt enim aureolus totus, & ad verbum addiſcendus libellus. Quotus etiam in eadem ſcientia vobis videtur Gerardus Sabloneta, qui inter

ſuæ ætatis Philoſophos facile princeps fuit, tam multarum, & optimarum artium ſcientia, quam eloquentia inſignis? Hic, cum ſermonem, & linguam multarum nationum calleret, Avicennæ Arabis, & Almanſoris libros latinos fecit. Hiſce duobus præſtantiſſimis Philoſophis complures alios omnium ætatum honeſtiſſimos annectere poſſem, ſed in hac collatione minime neceſſarium duco, cum adverſarii neminem uſpiam habeant, quem nobis opponant. Conſtat etiam eoſdem duos ſua quemque ætate, in Medicina principatum tenuiſſe, quæ ars cum primum cognita eſt ab hominibus, non tantum quæſtuoſa, ſed etiam ſummo ſemper fuit in honore; ſiquidem qui ſe ad Philoſophiam contulerunt, non unam tantum ſcientiam adepti ſunt, ſed eorum late diffunditur induſtria, rarique optimi philoſophi evadunt, qui non Medicinam quoque facere, vel ſaltem noſcere, ac diſcere velint. Habuit enim noſtra Civitas præter hos duos præclaros Medicos, patris mei memoria nobiliſſimum, ac præſtantiſſimum Jo: Baptiſtam Plaſium, qui etiam in Mathematicis diſciplinis, ut poſtea dicam, cunctos ſuæ, poſteriorisque ætatis ſuperavit. Multos alios prætereo doctiſſimos Medicos, quos hoc loco minime eſt neceſſe recenſere. Eorum vero, qui adhuc vivunt, quanquam propoſuerim neminem nominare, attamen vix hic mihi temperare poſſum, quin omiſſo propoſito, ruptiſque repagulis, extra cancellos longius excurram. Habet enim noſtra Civitas in præſenti eos viros, ea excellentia præſtantes, qui ſi aliquo gravi caſu, eluvione, aut ter-

terrarum exustione, aut pestilentia, vastitateve, omnis medendi ars amissa intereat, facile eam denuo excitare possint. Aditur undique, mediusfidios urbs nostra tanquam olim Epidaurus ad opem ab Æsculapio implorandam; ex omnibus partibus non modo Italiæ, sed etiam ex aliis provinciis huc confluunt, ut quondam non tantum ex omni Græcia, sed etiam ex toto terrarum orbe ad Delphicum oraculum propter spectatissimam medicorum nostrorum industriam, quorum incredibili, ac prope divina scientia, vulgatum est in tota Italia, etiam mortuos e rogo Cremonæ reviviscere. Neminem nomino, tamen bona pars vestrum, Patres, intelliget, quem dicam. Vivit, vivit adhuc, valetque apud nos, licet jam in præcipitata ætate, omnium Medicorum nostræ ætatis facile princeps, non infimo loco nostræ Civitatis natus, ex ea ipsa antiquissima familia, quam optimum Philosophum, eundemque Medicum tulisse commemoravi. Hic exquisita quadam medendi ratione præditus aliquos quotidie sanando, qui periculose ægrotabant jam prope desperati, comploratique ab omnibus, ut aliquis Medicinæ Deus imploratur, & a finitimis civitatibus jam usitato nomine Cremonensis Hippocrates vocatur. Ad artis rationem, quam ex optimis Græcorum, Latinorumque auctoribus haurit, addidit quoque experimentum ipsius disciplinæ, & rerum usum; nec tam ex libris didicit herbarum multiplicem, atque reconditam vim, quam ipsas herbas ipse inspicere voluit, & explorare, nosseque, quo quæque non tantum nomine vocetur,

ſed etiam qua forma, ac figura ſit, ut periclitetur, an earum facies deſcriptioni antiquorum Medicorum reſpondeat, ne in errorem, ut multi alii, prolabatur, aliamque pro alia medicaminibus adhibeat; quæ res noſtra tempeſtate propter herbariorum inſcitiam maximum mortalibus affert incommodum: vix unquam hic noſter errare poſſet cum optimorum auctorum lectione, tum longinqui temporis uſu, ac periclitatione experientiſſimus. Adde hominis per ſe ingenui faciem perquam liberalem, vultuſque alacritatem, atque jucunditatem, quem etiam, cum ad ægrotantem venit, de induſtria componit, dulcique quadam hilaritate inſpergit, atque perfundit; ad hæc accedit aſſiduitas illius, & benignitas, ſermoniſque ſuavitas, ac feſtivitas ſemper ſecunda pollicendo. Ante omnia ſtudet ægrotantem a triſtitia, atque acerbitate abducere totus hilarulus, totus lepidulus; blande ſiquidem ſemper appellat, quos triſtiores videt quaſi atra bile teneri, acuto, atque hilare dicto feſtivus, ut deliniti blanditiis Medici humaniſſimi, Medicinæ remedia, licet fortia, & auſtera, non averſentur. Odi ego equidem quoſdam horridos, triſtes, ac ſeveros, non Medicos, ſed Rhadamanthos ſuperciliorum remiſſione, bucciſque fluentibus, & viſu ingratos, triſtique, & recondita natura, nulli affabiles, qui mortem unici gnati immaturam ſemper lugere videntur, ut vultu, ita etiam ſermone duri, difficiles, inculti, tetrici, atque jejuni. At noſtri ſenis humanitas, jucunditas, atque ſuavitas magnæ levationi ſemper ægrotis fuit, quibus re-

rebus præditus semper judicatus fuit inter Medicos implere omnes numeros; iccirco summe desideratur ab omnibus, qui gravi, ac periculoso morbo laborant, undique summopere aditur, deposcitur, atque expetitur; si quis ejus nomen nunquam audierit, neque eum de facie norit, cum primum hominem viderit, nequaquam effici possit quin ei homo bonus statim videatur, ac judicetur. Si etiam ad Chirurgiam, quæ est aliqua pars Medicinæ descendere velimus, habemus in ea arte peritissimos homines, qui vulnera, nova quadam adhibita curatione, citra sectionem, ustionemve celerrime sanant. Non ne ex tota Italia, multisque ex provinciis, qui calculo laborant ad nostros confugiunt, quos ipse vidi ex vesica hominis, senio, morboque confecti lapidem ovi gallinacei magnitudine longi temporis negligentia, atque incuria concretum extraxisse, eumque sectum, qui præ dolore, acerbissimoque cruciatu modo mori cupiebat, post tertium, aut plurimum quartum diem, incolumem, optimeque valentem evasisse? Audivi sæpius ab iis, qui Medicinam instituunt, optimum Medicum esse non posse, qui non humani corporis partes omnes non tantum extrinsecus, sed etiam interius per dissectionem humani cadaveris, quam ἀνατομίαν vocant, articulatim inspexerit: hujus rei peritissimus in omnibus Medicorum Academiis tota Italia, & per provincias nomen suum nobilitavit Civis noster adhuc vivens; Cremonensem. Medici jam vulgato nomine vocant, ne adversarii nostratem esse negent. Hic totum hominis damnati recens cadaver, e carnificina

avectum minutatim dissecans proponit Medicis omnes particulas paulatim inspiciendas, ut explorare possint, quæ sit humanæ carnis natura, quæ compositio membrorum, quæve ossium, nervorumque conformatio, atque conjunctio; quæ medullarum vis, undeve initium habeant venæ, quave eæ, & quousque diffundantur per corpus, utque omnes arterias introspiciant, omnes sanguinis rivulos, & vias ab intestinis tam ad jecur, quam ad aliam partem ductas, atque directas, omnes item spiritus meatus, & receptacula, omnes musculos, & cartilagines, levissimasque membranulas, tunicas, sinusque, & radios, omnes articulos, exta quoque tota, & intestina, atque eorum fibras, totamque demum hanc naturæ tam diligentem fabricam contemplari valeant; nunquam aut plus, aut minus quam expediat concidit, sed ad formulam antiquissimorum Medicorum eam partem, quam constituit, enucleate desecat. Neque vero istæc tantum manu transfigit, verum etiam de iisdem in scholis magna auditorum frequentia doctissime, ac subtilissime disputat a civitatibus per magna mercede conductus, semper paratus quærentibus, omnium, quæ ad artem pertinent, physicam rationem reddere.

Transeamus tandem hinc ad alias disciplinas; nihil tamen comparandi caussa elaboro, cum præterea neminem habeant adversarii, cujus nomen sit hoc loco dignum; operam enim perderem si disjunctissima inter se comparare conarer. In Mathematicis maximum nostri studium semper posuere, cum ea non sine summo ocio discantur, quod

quod magna in obſcuritate rerum, & recondita arte, multiplicique, atque ſubtili verſentur. Ille idem Gerardus Sabloneta, quem ſupra præclarum Phyſicum, & eundem Medicum commemoravimus, tamen omnes diſciplinas uni Geometriæ ſemper poſthabuit, quod eam omnibus ſcientiis certiorem noſſet; Phyſicas enim rationes perſuadere quidem fatentur omnes, ſed Geometras certis, ac neceſſariis demonſtrationibus, quæ minime vitari poſſunt, cogere affirmant; ideoque in ea arte omne ille ſtudium ponebat, familiari etiam ſermoni inſerens ſimilitudinis gratia lineamenta, formas, intervalla, & magnitudines. Hunc non tantum ſua ſcripta nobilitarunt, verum quoque aliorum, qui de eo ſcribunt, monimenta illuſtrem reddidere, licet etiam propter invidiam, obtrectatoribus non caruerit. Idem reliquit in noſtra Civitate complures ſuæ intelligentiæ hæredes, exhæredeſque uſque ad noſtra tempora, in quibus quoſdam etiam novi, qui ſine docente, ſine literis, ſed ſolo ingenii acumine intima artis penetrarunt, ut de omnibus Geometricis partibus, non modo apte, & congruenter, verum etiam copioſe loqui poſſint, ſi quid quæſtionis coortum fuerit, de circuli, aut quadrati, vel alicuſpiam alterius figuræ dimenſione, ſemperque in ore, & ſermone habent, aut Euclidem, qui de iis cumulatiſſime ſcripſit, aut Archimedem.

In Arithmeticis quoque exercitati, ſtudioque immoriuntur dimetiendi cœli, & terræ, rerum ſuarum negligentes, totiuſque humanitatis obliti. Jam dudum geſtit mihi animus in his ſtudiis Ma-

thematicis immorando ad Aſtrologiam vos provehere, neque mihi magnopere eſt neceſſe huc iterum evocare eoſdem ipſos præclariſſimos viros Gerardum Sablonetam, & Plaſium, qui apud nos hanc artem ſcriptis luculentiſſimis illuſtrarunt, cum doctiſſimorum hominum, qui hiſtoriam ſcripſere, teſtimoniis, ac prædicatione jam poſiti ſint extra aleam, neque ullus in hiſce ſtudiis verſatur, qui non utriuſque libros ſibi diligentiſſime legendos, ac perdiſcendos neceſſario arbitretur. Permittamus igitur ambos in ſua quemque gloria quieſcere hominibus potius ſuſpiciendos, admirandoſque, quam patiamur eos a quoquam indigne redigi in ordinem. Fuit ante Plaſium Leonardus Maniardus, qui ſuo tempore, non tantum inter noſtros, ſed etiam inter omnes in iis ſtudiis tenuit principatum. Habet præterea Cremona hac ætate viros complures perquam doctos, qui Cœli rationem, & Chaldæorum placita diuturna ſiderum obſervatione optime callent, neque unquam in Mathematicis deſcriptionibus errare convinci potuerunt. Hi quotidie non tantum defectiones Solis, & Lunæ multo ante nobis prædicunt, neque ſolum vident quo in ſigno quæque errantium ſtellarum quoque tempore futura ſit, quove die cujuſvis ſigni ortus, quove occaſus perpetua Cœli, ac ſiderum ratione tam eorum, quæ certis locis infixa ſunt, quam quæ haud re, ſed vocabulo tantum ſunt errantia, verum etiam, ut eſt Chaldaicum prædicendi genus, præſignificant mirandum in modum, quid cuique porro ſit eventurum, & quo quiſque fato natus, &, quod incredi-

credibile videtur, raro mentiuntur, cum tamen Eudoxus in Aſtrologia facile princeps dicatur ſcriptum reliquiſſe, Chaldæis in prædictione, & notatione ex natali die minime eſſe credendum. Tantum hoc ſtudium noſtris hominibus menti inſedit, ut quemadmodum de Geometricis memoravimus, cætera omnia tam publica, quam privata in iis ſolis occupati negligant, inter illos ego aliquos quoque ſum admiratus, qui nunquam ab ullo, neque Græce, neque Latine didicerint, ſed penitus Grammatica neſcientes, & omnino literarum expertes, tamen abundantia ingenii, naturæque ipſius habitu prope divino, per ſe ipſos artis abdita, atque recondita hauſere, eaque optime eallere judicantur, cum in hominum conventibus, & circulis cum doctiſſimis viris conſuerint de difficillimis quæſtionibus quotidie diſputare, barbaris quidem verbis, ac vulgaribus, ſed exquiſitiſſimis rationibus, quæcumque dicunt probant, ac firmant, recteque, & ex arte conſtanter ſemper loqui judicati ſunt. Quod mihi quidem videtur contrarium illi, quod de Arato dicitur. Ille ſiquidem ignarus Aſtrologiæ ſcripſit verſu, ne dum apte, ſed eleganter de Aſtrologia. Hi vero ſcriptionis omnis expertes, & ignari, ad artis abditiſſima accedunt plus intelligentia, ac cognitione aſſecuti, quam lingua, aut calamo. Utcumque ſit, quacumque induſtria id faciant, illis relinquo; mihi certe non poteſt non mirum videri, quod non modo tempeſtates, & temporum varietates, Cælique mutationes veris prognoſticis multo ante prædicant quam eveniant, cum hujuſmodi

di variæ Cæli ſpecies non ſemper certo aliquo ſigno commoveantur, ſed interdum obſcura etiam ex aliqua cauſſa concitentur, aliaque quandoque ſit tempeſtas Cremonæ, alia Placentiæ. Prædicunt perſæpe, me audiente, procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia, bellaque, & peſtilentias, annonæ quoque futuram, aut vilitatem, aut caritatem, & quæcumque cuique eventura ſunt, raroque in ſuis prædictionibus mentiuntur, ut aliquis credat eos potius ariolari quadam divina præſenſione, & cæleſtis mentis inſtinctu, quam aliqua certa ex cauſſa deprehendere ea, quæ premonent.

Cæterum etiam in iis artibus, quæ ad augendam rem familiarem inventæ ſunt, habet noſtra Civitas, ſemperque habuit egregios artifices. In Pictoribus, & iis, qui ſigna fabricant, quanta ſolertia, ne dicam prudentia? quanta dignitas? De Architectis vero quid dicam? quorum induſtriam facile quivis cognoſcere poteſt tam ex Templis, publicisque operibus, quam ex privatorum domibus recentiſſime in urbe noſtra exædificatis; uſque adeo omnia in iis exacte quadrant, ſuiſque numeris reſpondent omnia, ut nihil hactenus a quoquam deprehenſum ſit, in quo peccatum fuiſſe argui poſſit. Nec Cremonæ tamen anguſtiis eorum laus circumſcribitur, ſed latiſſime tenditur per totam Italiam diffuſa. Quicumque uſpiam ædificia magnifica moliuntur, eos conſulunt, eorumque induſtriam, & artem expetunt, atque advocant. Porro incredibile eſt quantæ magnitudinis, aut ponderis moles, nulla, neque opera,

ne-

neque impensa, sed exquisita quadam ratione moveant, quam ingentes columnas apposita machina facillime in altum tollant, substructionibusque apponant. Age vero cæteris in artibus quanta sit nostrorum præstantia.

Aurifices, & qui argentariam faciunt, Cęlatores, Vascularii, & qui fusoriam exercent (nam de navis aratoribus, agricultoribusque dixi heri, cum de optimi soli ubertate agerem) molliter, & affabre excudendo, formando, poliendo, ac collustrando ad antiquorum laudem pervenere. Quid, qui fidibus, & tibiis canunt? Citharædi, Aulædi, Symphoniaci, cæterique musicorum perstudiosi? qui sutrinam instituunt, qui textrinam faciunt, qui tonstrinam exercent, & ut eos attingam omnes, quorum non tam operæ, quam artes emuntur, trapezitæ, zonarii, phrygiones, fabriferrarii, lignarii, tignarii, navium ædificatores, cæmentarii, figuli nusquam elegantius nusquam mollius, & exactius horum opera perficiuntur. Pene oblitus fueram, dum ad majora propero commemorare, quam late diffusa sit nostrorum hominum mercatura, qui rem suam bonis, & honestis rationibus augent, non sordida quidem, aut tenuis, sed magna, & copiosa, ideoque præclara, & quodammodo generosa propter magnitudinem quæstus, & rerum, quibus abundat, copiam. In hoc industriæ genere nulli fere Italiæ Civitati præ opibus, & facultatibus secunda est nostra Civitas, cum tulerit eos viros, qui in iis studiis, & negotiationibus foris nomen suum nobilitarunt, tum propter commercium, quod ha-

bent

bent cum Regibus, & Principibus viris, qui ab eis persæpe grandem pecuniæ summam mutuam sumunt, tum propter amicitias, quas ubique gentium cum multis negotiando contrahunt. Non diffitebitur Cæsar, bellum, quod in Germania novissime maximum confecit, aliqua in parte sustentatum fuisse a mercatoribus Cremonensibus, qui in Civitatibus septentrionalibus negotiantur; neque hic noster Ferdinandus, qui eo tempore summam belli administrabat dissimulabit eosdem sibi etiam in re privata, ac familiari alicui usui fuisse. Illiberales vero quæstus, operas, atque servitia aliis civitatibus relinquo, liberaliterque concedo; qui a mercatoribus mercantur, quod statim vendant, quive in sella quotidie sedent ad solitum quæstum; est enim in illis ipsa merces servitus, tabernarios omnes, aquarios, bajulos ad deferenda onera valentissimos, & omnem illam fæcem Civitatum. Sibi etiam habeant artes, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarios, lanios, cocos, pistores, fartores, dulciarios, ut ille enumerat, & omnes helluelas; addo istis unguentarios, saltatores, aleatores, ludoque talario deditos, & id genus nugarum. Has ego, Judices, inferioris ordinis artes ad vitæ humanæ commoditatem inventas, quæ longiorem Orationem desiderabant, breviter, summatimque percurrens, artifices ipsos generatim potius quam sigillatim laudavi. Quoniam vero est in manu, & facultate cujusvis Oratoris hac ratione amplificare quodlibet vel contemptissimum oppidulum, omniaque mentiri, & temporis caussa fingere, atque Oratione volitare,

præ-

præfertim si apud eos dicat, qui rei notitiam nullam habent, ne me eum esse arbitremini, qui de Artificibus agens non quæ propria sint nostræ Civitatis ornamenta proprie, & vere memoraverim, sed collegerim omnia promiscue, ut quæque in mentem veniebant, quæ summæ, regiæque cuilibet Metropoli convenire possint, cum longum esset, vobisque permolestum singulos præstantissimos viros in quacumque arte recensere, compendio studens operæ pretium duxi unum tantum hominem, quem bene nostis vobis proponere, ut sit quoddam quasi specimen, quod in uno de reliquis omnibus fidem facere possit.

Non vos præterit, Patres, jam pridem in hac ipsa regia Urbe Vestra, nutu hujus nostri Gonzagæ datum esse negotium cuidam Cremonensi in arte fabrili omnium rerum præstantia excellenti, ut Cæsari horologium admirandi, inusitati, incredibilisque artificii fabricet, quod non modo Solis ab ortu ad occasum commeantis cursum quotidie dimetiatur, diemque in XXIV. horas æquabilibus spatiis dividat machinationibus, vique occulta, aut ponderum impellentium, aut ferreæ laminæ violenter accurvatæ, axique circumvolutæ, & semper ob ferri naturalem rigorem obnitentis, & se evolvere conantis, ut etiam fit in vulgaribus horologiis, sed totius Cœli statum, Mundique naturam, & formam continenter se movendo imitetur, ut inde semper pernoscere possimus, in quo statu sit Cœlum, quæve existat ejus forma, atque non modo in quo signo, sed etiam in quota ejus parte sit tam Sol cæterorum luminum dux,

&

& princeps, quam etiam quæque ſtella, & omnium ſignorum ortus, atque obitus certo, atque immutabili ordine, ſuo quoſque tempore perdiſcere, ſolſtitia item, & brumas, Sole ulterius non progrediente, & curriculum convertente, initium quoque Veris, & reliquarum anni partium, diverſitates inſuper dierum, ac noctium, tam Cœli commeantis flexu, quam diverſitate regionum terræ ipſius, tum medium noctis quoque anni tempopore, & meridiem, tum faſtorum dies, tam eorum, qui Solis, quam qui Lunæ curſum ſequuntur, quos mobiles appellamus, Solis quoque, & Lunæ acceſſus, & deceſſus, eorumque varios defectus, quo etiam tempore quæque ſtella nobis oriatur, & occidat. Arbitror, Patres, neminem veſtrum eſſe, qui non viderit opus illud admirandum, inuſitatum, & quodammodo portentoſum, tam perfectum, expletumque omnibus ſuis partibus, & numeris, in quo egregius artifex eximio ingenio, ſtudioque ad inveſtigandum incitato æmulatus fuit Dei ipſius divinum, inenarrabile, immemorabile, & antehac non imitabile opificium in Mundi univerſi, atque in totius naturæ fabricatione; ita omnia cœli momenta, cunctoſque orbium cœleſtium motus, quibus tempus ipſum conficitur, ſolerti, ac ſubtili æris, ac ferri fabrica eſt aſſecutus. Vidiſtis quam fabre expreſſerit aſtra omnia tum fixa, tam errantia, ipſorum errantium curſus imitatus, progreſſioneſque, & reverſiones, omnes item ſtellarum trajectiones, ut ſingulas, immutabilibus ſpatiis ab ortu ad occaſum commeare faciat, ut varios annos unius aſtri reditio

con-

conficiat ſignis omnibus, cæteriſque aſtris ad idem principium per circulos ſuos revocatis, ut ſignorum ortus, & obitus ſervent ſemper eundem ordinem, ut errantes ſtellas, ut quæque citima eſt, aut extima, faciat ſuos curſus æquabili proportione tenere, multum inter ſe, aut altitudine, aut humilitate diſtantes, ut celeriter ſemper Luna, quę citima eſt, curſum ſuum, ac curriculum conficiat, Saturnus vero, qui eſt ultimus, ſemper annis ſaturetur. Quis, quæſo, non admiretur in tanti operis fabrica, cum videat, ut mirabili varietate, atque ordine incredibili novem orbibus, vel, ſi magis placet, globis connexa ſint omnia, e quibus octavus in partes XII. quas ſigna vocant, diſtributus omnes interiores alios arcens, & continens, complectatur, ut in illo infixi ſint illi qui volvuntur, ſtellarum curſus ſempiterni, ut eidem ſubjecti ſint ſeptem globi illi, qui retro verſantur contrario motu, atque Cœlum, ut ſua unicuique ſtella hæreat, & ſicut in Cœlo, ita quoque hic pariter errare credas, ut inter eas moderator omnium Sol ſicut mediam regionem, ita quoque principatum obtineat, cunctaque luſtrare videatur, & luce ſua complere? Eum tanquam temporum auctorem, & moderatorem miro artificio circumferri fecit, & uſque ad brumale ſignum accedere, nec ultra progredi, ſed ſtatim referri, & ſenſim aſcendere in diverſam partem, atque V. diebus, LXque, & CCC. addita quarta fere diei parte converſionem annuam conficere, & ut vere Cœli fictor æmulatus illum æternum Mundi fabricatorem, & effectorem Deum,

cum

cum ipso Sole facit cætera astra penetrare. Non ignoro Patres, complures alios fabros vobis posse totam Sfæram semel inventam, atque introductam ab aliis, omnesque Mundi orbes, aut globos fabricari, tam ex solidis, quam ex planis servata peræqua proportione spatiorum, ut Terra medium ad Universi Cœli complexum quasi puncti instar obtineat, ut ipsi novem orbes, ac globi inter se juxta Mundi rationem distent. Fabricabunt etiam isti, & axes, & polos, & quas absidas, vocant; notabunt item signa omnia, ventorum quoque regiones, orbem lacteum, anguesque, & quinque zonas mundi, omnesque cœli dimensiones, inclinationesque, quas κλίματα vocant, divisiones insuper signorum, atque intervalla, & gradus, graduumque minutissimas, & prope infinitas particulas, omnia demum, prout se habent in Sphæra, fabrili industria tibi perfecta dabunt, & totius Cœli formam etiam, sideribus ornatam apte excudent; neque enim est adeo exquisitæ industriæ ea, quæ aliquis prius adinvenit, semelque confecit, imitatione alium assequi, atque etiam inventis aliquid addere. At hic noster non tantum ea omnia ære, & ferro magis affabre, elegantiusque quam cæteri omnes, fabricatus est, ut nihil tam compositum, tam compactum, tam coagmentatum inveniri queat, verum etiam, quod nemo adhuc investigare potuit, ad unius octavi circuli motum, omnes alios interiores orbes, totamque illam machinam ad Mundi ipsius numeros, & rationem moveri, & in perpetuum contorqueri fecit, tam variis, tam inæ-

qua-

quabilibus, tam vagis, tam dissentaneis, tam interdum contrariis motibus, nunc pronis, nunc supinis circulis, nunc rectis, nunc obliquis, sæpe etiam tranversis, in orbem tamen commeantibus, ut nihil motu cœli ipsius, ac mundi fiat, quod hic quoque non repræsentetur, ut inquam, tarditate, & celeritate dissimillimos motus una regat conversio, cujus nutui omnes alii motus obtemperent, omnes sint in officio, inter se concinnentes, atque concordes, & munus quisque suum obeant. Cum id opus inusitatum, Patres, contemplor, desino admodum admirari mundum illum, quem tantopere, tanta, inquam, providentia in Timæo ædificari fecit Plato, cum prius mihi nihil eo descriptius, nihil dispositius videretur. Nihil profecto ab hominis ingenio, solertiave ulterius expectare possumus, nisi forte velimus, ut ad æmulationem illius æterni Opificis tonet etiam, fulguret, fulminet, nubes congreget, Irides varias inducat, pluat, ningat, grandinem, & pruinam, roremque creet, variosque ventorum flatus, procellas, turbines, conciat, atque tam turbidas tempestates, quam serenitates, terræmotusque interdum subitos efficiat, rerum insuper inferiorum ortus, & interitus moliatur, quæ opera sunt unius rerum omnium præpotentis Dei. Rogatus ego olim ab ejus amicis, quonam nomine tanti Operis fabrica apte appellari posset, ut Cæsari non sine nomine dono detur, nequeo in eam sententiam descendere, ut mundi aut simulacrum, aut instar, exemplarve dicatur, cum omnis hujusmodi vulgaris fabrica etiam mo-

tibus carens isto nomine recte dici possit. Quoniam vero is alter mundus videri possit tam perpetuis motibus, quam totius Cœli descriptione, cum tamen comparatione sit admodum exiguus, placet potius vocari parvum mundum, melius fortasse, & commodius Grece uno verbo μικρόκοσμον. Talia sunt, Judices, civium meorum ingenia, tales Artifices; nihil vobis affero nisi egregium, nisi exquisitum, singulare, incredibile, atque divinum, quodque pro miraculo, & ostenso habeatur, ut nemo credere queat talia a mortali fieri, aut investigari potuisse, nisi cœlesti aliquo mentis instinctu; id enim est divina ad homines transferre, & quasi cum natura ipsa certare, æternumque illum Opificem, si fas est dictu, æmulari. Si hominem aspicias, nihil minus, quam in eo ingenii acumen suspiceris; ita rudi, informi, atque agresti est facie, formaque, & specie adeo illiberali, in qua nulla dignitas, nulla indoles, nulla industriæ spes; indignitatem auget, quod eum semper videas multo cinere, & incocta fuligine os, & capillum, barbamque inspersum, infuscatumque, manibus, digitisque latis, atque prægrandibus, ærugine semper plenis, incomptum, male, & incommode vestitum, ut Brontem aliquem, aut Steropem, aliumve quempiam Vulcani famulum credas, qui suis manibus omnia, quæ facit, ad incudem informat, ad laborem in opificina natus. Neque quis putet, ei aliquem magistrum in Mathematicis excellentem orbium, aut motuum, siderumve rationem præscribere, ac præfinire nihil harum rerum intelligenti, sed in ar-

te

te fabrili tantum perito, omnia nullis adminiculis a se ipso suo ingenio, sua investigatione, suo, ut ajunt, marte, & instituit, & fabricatur, idem inventor, & effector, unus eorum nostrorum civium, quos supra memoravi in Astrologia inter omnes excellere, cum illi tamen nunquam literas didicerint; nullique præceptori operam dederint. Non solum in hoc genere callet cœli ipsius effectus, sed etiam intelligentia caussas ipsas per numeros deprehendit, & cognitas habet, quin etiam sæpe numero eos, qui habiti doctissimi in Astrologia libros scribunt, recte, docteque coarguit, & eos errati nonnunquam convincit, necessariis rationibus, errorem, lapsumque fateri coactos. Memini illum mihi dixisse, Venetos maximam curam, & diligentiam ponere, ne paludes illæ, quæ Urbem suam munitiorem, tutioremque reddunt, exsiccentur adjecta quotidie per alluvionem nova terra, easque assiduis operis humum egerendo detegere, atque in ea re necesse esse magnum, jugemque sumptum facere; se eum esse, qui quicquid illud est operis, & laboris, decuplo minore impensa exhaurire possit. Vidimus etiam, & admirati fuimus superioribus annis eundem hominem Imperatoris jussu ænea tormenta miræ magnitudis, ac ponderis e fossa admodum profunda nullo negotio extraxisse, quæ vix centum robustorum boum paria cervicibus movere potuissent. Hanc partem ego, Judices, prosecutus sum latius, quam proposueram, nam ita facere coactus fui, ut quemadmodum præfatus sum, ab hoc uno, qui vobis est omnibus perquam notus, de ingeniis ce-

terorum nostrorum artificum, quos non tam bene nostis, in unoquoque genere judicare possetis.

Demum mihi deveniendum est ad mansuetiores Musas, ideft ad ea Literarum studia, quibus non tantum ad eloquentiam, sed etiam ad omnem humanitatem instruimur, ac perpolimur. De Poetis inquam, atque Oratoribus mihi instituendus est sermo, deque cæteris Scriptoribus, qui varia, ac multa Librorum lectione eruditi Patriam sempiternis monimentis illustrarunt. Hoc in campo tam lato, & spatioso posset exultare Oratio; tot enim ejusmodi eruditionis homines præstantissimos genuit, gignitque quotidie Cremona, ut non inconcinne civitatem ipsam dicere possis eruditam. At ne diutius laboremus in collatione nostrorum cum vestris, compendio studens ita mihi rem aggrediendam duxi. Carolus V. Romanorum Imperator, omnium gentium, atque omnis memoriæ clarissimum lumen, cujus victoriarum fama iisdem, quibus Solis cursus regionibus, ac terminis continetur, quemque omnes gentes, populi, nationes, ob bellicosissimos populos ejus virtute, consilio, felicitate, superatos contremiscunt, implevit orbem terrarum nominis sui gloria; eas enim id ætatis res gessit, quas nunc omnes gentes loquuntur, nullave oblivifcetur posteritas, nulla obmutescet vetustas. Si æternitati, & literis præclaris cujuspiam docti hominis monimentis ad memoriam ejus nominis sempiternam commendata fuerint, licet ille sit eruditus potius victoriis, ac triumphis, quam literis, sibique contentus sit sua conscientia, testimonioque solidæ, ac veræ laudis;

dis; non tamen arbitramur indignum sua virtute, dignitateve, ac majestate cupere, ut quæ ipse præclare gessit pleniore ore laudanda, clarissimis literarum monimentis, vel Grece, vel Latine ad omnem memoriam mandentur, ut tot trophæis, tantisque victoriis, nulla unquam finem sit ætas allatura, quod etiam multi Imperatores clari, & magni ante eum fecerunt. Cogitemus igitur, atque fingamus, ipsum Cæsarem huic Ferdinando Gonzagæ, qui Provinciæ præest, atque in Italia summam imperii tenet, publicis literis scripsisse, ut in sua ditione hominum in re literaria præstantium delectum quodammodo habeat, deque omnibus seligat aliquos, omni Literatorum præstantia excellentes, qui tantum, ac tam præclarum munus egregie explere possint, tum versu, tum soluta Oratione. Agite, Papienses, explorate omnes Academiæ vestræ angulos, omnes, inquam, scholas scrutamini, excutite omnia Literatorum vestrorum umbracula, atque latibula, sicubi aliquis, aut se ultro offerat, aut certe deprendatur, qui tantæ provinciæ suppetere sit idoneus. Agite, inquam, postulate a Cæsare, ut ipse ad vos transmitti mandet rerum suarum commentarios, quo eas ille vester ex omni eruditorum numero delectus mox ornet divinis literarum monimentis. Cui, quæso, tantum munus mandabitis? Agite, aliquem tandem adducite; ne quem tamen, moneo, Mediolanensium attingite, quos sæpe pro vestris jactare, ac prædicare consuevistis. Quod si unus omnes tanti Imperatoris victorias complecti nequit (esset enim infiniti prope negotii) tantum-

que onus humeris suis reformidat, multæ fuerunt, ac diversæ ejus victoriæ. Nullus pene locus, quocumque penetravit, qui non ejus trophæis, monimentisque illustratus fuerit; tot enim triumphos habuit, quot oras terrarum cum exercitu peragravit, & omnem antiquitatis memoriam virtute superavit. Tria tamen ejus præclarissime facta ab omni egregie factorum numero eximunt, quibus omnes alios Imperatores, quotquot ubique gentium fuerunt, virtute, ac belli gloria adæquavit. Unum saltem ex his tribus Literati vestri excerpant; quod literarum monimentis commendent, vestrorum optioni nostri relinquunt, quod eis magis collibuerit, quodve eorum animis magis arriserit: quodcumque horum vestri detrectabunt, nostri suscipient. Cum trux Turcarum Tyrannus omnem Pannoniam in barbaram servitutem redegisset, Germaniæque immineret jam permultos dies in Austria obsessa Vienna tantis armatorum copiis quantas ullus Imperator ulla non modo hominum, sed etiam annalium memoria habuisse traditur, cumque jam sibi totius Orbis victoriam animo exultans repromisisset, indomitusque, ac ferox urbibus Christianorum exitium intentans præceps ferretur, qui torrens, Dii boni! qui turbo, quæ tempestas, quæ procella, quæ flamma, quod incendium! Hic noster difficillimo reipublicæ tempore, dura conquisitione paucis diebus conscripto, comparatoque exercitu, incredibili animi robore obviam factus est, si quo modo illum exultantem, atque impune volitantem retardare posset. Eius votis non defuit optabilis exitus, nam

Tyranni præcipitem cursum, atque impetum repressit, furorem coercuit, ardorem restinxit, ferocitatem illam barbaram compressit, audaciam fregit, nec modo a Viennæ jam fessæ, propeque expugnatæ muris avulsum detraxit, verumetiam hostem superbissimum, incredibili virtute, profligato pene ejus exercitu, rebus suis tandem timere coegit, atque in turpissimam fugam, potius animi virtute, quam exercitus robore, & copiarum numero conjecit. Agite, Papienses; prodeat tandem aliquis ex vestris Literatis, qui huic Victoriæ tam præclaræ perpetuis monimentis tradendæ se idoneum profiteatur. Quid hæretis? Excitate tandem aliquem ex tota Academia vestra, quam tantopere jactare soletis, semper Academias, semper Gymnasia loquentes. Nemo prodit. Silent omnes, credo hercle, rei magnitudine deterriti. Intelligo, hoc primum Cæsaris egregium facinus Scriptoribus nostris facile relinquunt. Proponam alterum, si forte Papienses huic magis historiæ enarrandæ aptiores esse se sentiant. Fuit multos annos ex omni aditu nostris legionibus clausa, & inaccessa Africa, ejusque litora nostris mercatoribus, & naviculariis erant infestissima, & parum tuta omnibus per illud Mare hactenus navigatio fuerat ob Castellum, quod incolæ Guletam vocant, positum in angustiis, & totius Africæ faucibus; quod erat specula, & propugnaculum Afrorum, tum natura ipsa, & situ, tum aggeribus, operibusque manufactis munitissimum objectum contra copiarum nostrarum impetus; ea enim arce in mare admodum projecta portus, qui ibi

est angustissimi aditus, tectus erat, & clausus atque ex omni aditu natura regionis vallatus, Hic alioqui magnum, ac firmum præsidium teneri semper solitum erat, custodiisque, & vigiliis die noctuque, propter magnitudinem periculi servabatur. Tunc vero Tyrannus ille, qui Tuneti regnum, ejecto per vim Rege justo, legitimoque, occupaverat, audita fama adventus Cæsaris cum exercitu, non ignarus totius illius Regni salutem a Guleta pendere, in ea amplius decem milia armatorum collocaverat. Sed quæ arx tam munita, tam inexpugnabilis, quæ Caroli V. virtute non expugnari possit? quis locus tam arduus, atque inaccessus, qui ejus legionibus, & copiis tandem non sit pervius? Appulsa igitur portui classe, legionibusque in terra partim positis, partim in navibus retentis, vi, atque impressione utrinque facta, propugnatorum maxima cæde temporis vestigio, portum, arcem, propugnacula, castellaque omnia, incredibili, ac prope divina virtute in suam ditionem redegit, justoque, atque legitimo Rege in regnum restituto, sibi sola Guleta retenta, ne omnia barbarorum fidei crederent, ibique collocato Italorum, Hispanorumque satis firmo præsidio, frænum quodammodo, ac capistrum toti Africæ injecit, clausamque nostris legionibus patefecit; quod egregium facinus, ac præclare factum cum quovis veterum Imperatorum triumpho comparabile nunquam posteritatis gratissimus sermo conticescet. Ecquem, Papienses habetis doctissimum virum, qui flumen aureum Orationis semper fundens dicendi tanta copia præ-

ditus

diius sit, ut pro rei majestate hæc literarum monimentis sempiternæ memoriæ tradere valeat; speretque, se satis posse consequi dicendo quanta illa Cæsaris celeritas, quanta cura, quanta virtus fuerit? Neque hic hercule quenquam surgere video, qui Cæsarem ornandum suis laudibus suscipere ausit. Intelligo; Cremonensibus hanc etiam partem intactam, atque exortem relinquunt, seque fortasse reservant ad recentem ipsius Cæsaris de conjuratis totius fere Germaniæ populis victoriam suis scriptis celebrandam, quam ex tribus ejus præcipuis dimicationibus maximam fuisse arbitror. Ecquis vestrum audet tantam rem aggredi? tantam, inquam, quantam vix animo cogitare possumus? Nemo erat, qui non penitus esse actum de Germania existimaret, propter novam sectam vitæ, & officiorum omnium perturbatricem, paucorum quorundam scelere, qui animis ambitione corruptis traducti ad mala consilia, impure, & flagitiose vivendo magna reipublicæ vulnera imposuerant; quicquid enim est tenebrarum, jam imperitæ multitudinis animis offuderant, & nobiscum de omni fere Religionis ratione dissentire coegerant. Vocabantur ab eis in controversiam ea, quæ publica omnium gentium, & nationum consensione, constantissimaque assertione tot sæculorum approbata, & consecrata erant. Nec tantum de Diis immortalibus, de ceremoniis, deque omni Sanctitate prava, & impia sentiebant, verumetiam cupiditate rerum mutandarum, aut potius evertendarum capti, longe aliena de moribus, institutisque majorum, deque omni

ni disciplina, & temperatione Christianorum impune prædicabant, convulsaque religione, & aris eversis, divorumque immortalium pollutis templis; sanctissimisque dirutis, atque prostratis delubris summa dementia, ac temeritate prædіti, & nihil prorsus pensi habentes populos fere omnes a republica, & Romani Imperii legibus, male persuasos, atque seductos scelerata scessione deficere fecerant, usque adeo ad id dementiæ ventum erat, ut nusquam fere in tota Germania Imperatoris jussa, atque imperia audirentur. At Cæsar Dei Optimi Maximi beneficio ad hæc tempora procreatus, cum jamdudum omnes suas curas in rempublicam tuendam, propagandamque contulisset, ne aliæ cæremoniæ nobis essent, alii divorum immortalium antistites, aliique Religionum interpretes, existimans, non posse sine nefario scelere, ea tam tetra, tam tristia dissimulare, caussam Religionis admiranda animi magnitudine suscepit. Comparato igitur Italorum militum, atque Hispanorum satis firmo exercitu, una cum Germanis illis, qui in officio, & fide permanserant fidelissimi, divina, atque eximia virtute sua bellicosissimarum Gentium crudeles, ac furibundos impetus primum retardavit, mox [quanta cura Dii boni! quanto labore, patientia, vigiliis!] omnibus exercitus sui Ducibus diuturnitate belli defessis suadentibus ab incæpto desistere propter magnitudinem periculi, & multiplicem difficultatem, præsertim alienissimo anni tempore (accedebat enim ad frigidæ provinciæ naturam summa hyems, frigidissimaque anni tempestas, qua jure gentium omnia

omnia bella quiescere solent, cum etiam feræ latibubis se tegant) ipse luce illa præclari, atque excellentis ingenii, quam omnes divinam toties, ac singularem experti sumus, ejus belli exitum longe prospiciens nunquam persuaderi potuit, quamvis affectus valetudine, ut vitæ suæ consulens, se cum exercitu ad tutiora loca reciperet, ubi posset saltem hyemem, & frigorum vim sub tecto, & pellibus vitare, quam nos sub urbium tectis luculento camino vix sustinemus. Ipse vero numqam de spe dejectus cuncta cæli, aliaque incommoda æquissimo animo perferens nunquam destitit hostem persequi, sed in opere tam necessario usque ad belli exitum singulari patientia perduravit, consilioque potius, constantiaque, & animi magnitudine, quam ferro, & copiis cum gente sibi multis nominibus alioqui conjuncta felicissime decertavit, nec tantum populos ferocissimos, fædamque illorum crudelitatem a corporibus nostris avertit, verumetiam confertissimas copias contrivit, contudit, domuit omnemque Germaniam, nullis fere præliis, sed magis virtute, imperio, consilio, gravitate, constantia, animique magnitudine superavit, ad sanitatemque reduxit, atque recta de Religione, & de Divis immortalibus sentire assuefecit; imperatisque obsidibus, quot satis sibi visi sunt, illis jura, leges, agros, & pristinam libertatem reliquit, nihilque eis præter injuriæ licentiam eripuit. Ita hanc rempublicam, hoc sacrosanctum Imperium, urbes nostras, templa, sedesque Divum immortalium, fortunasque, & omnium liberos dimicatione, & periculo vitæ suæ conservavit; aras,

ſacraque, & cæremonias reſtituit; pro quibus rebus ad primum nuntium tantæ victoriæ ei, ipſi agri Italiæ, ut mihi videbantur, gratias agere geſtiebant.

Intelligitis, Papienſes, quam uberem, copioſamque materiam vobis proponam, quanta occaſio vobis præbeatur oſtendendi, quanta ſit dicendi facultas, vis, & copia Veſtrorum hominum, qui ſe in ſcribendo exercuerunt. Nullus in Germania locus, qui non recentibus tanti Imperatoris victoriis, trophæis, ac monimentis illuſtratus ſit. Si poetæ alicui diſerto, atque facundo, cui ſint nervi, & vires hanc provinciam mandabitis, quam jucundis ille digreſſionibus, quantis luminibus poema ornare poterit, ac colluſtrare? Videre videor illum inducere ipſos agros, ipſas ſylvas, fluvioſque, ac montes mutos tam ærumnoſi Imperatoris tot incommoda prius commiſerari; poſt victoriam vero, vel ipſas urbium ſedes, domorumque, ac Templorum parietes Liberatori ſuo gratias agere, ut quocunque ille venerit, eo lux quædam, & ſalus veniſſe omnibus videatur. Plurimis deinde nominibus eum in Cælum multarum gentium victorem feret; teſtabitur inprimis, eum omnia ſua ſtudia, omnem operam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in Chriſti nomine, religioneque, ac pietate propaganda defixiſſe; Intercurrent ſæpius loci, quos etiam ipſe artifex elicere poterit, ſi ſe ipſi non ſua ſponte dabunt, ubi detur opportune ſingulares, atque divinas tanti Imperatoris laudes cumulate explicare, animumque illius excelſum, & altum, ac

vir-

virtutibus exaggeratum poſteritati tradere, ideſt eum ſuis laudibus ornare, virtuteſque ejus ſingulares in animis, & quaſi in oculis hominum oratione figere, tum propter belli divinam quandam, & incredibilem ſcientiam, felicitatem quoque, & gloriam ejus admirari, conſilium, moderationem, abſtinentiam, tolerantiam, eumque penitus ſuis coloribus depictum poſteris commonſtrare, ſedatum, gravem, atque humana animo promentem, ac præter unam gloriam omnia deſpicientem. Diutius, Judices, quam neceſſe fuit, hunc locum urgeo, ſerius fateor quam oportebat, intellexi, cum neminem, aut certe perpauciſſimos Papienſes habeant, qui, non dico, tantæ provinciæ ſint idonei, ſed qui in his ſtudiis ſint in aliquo literatorum numero; uſque adeo ad nihil literarum redacti ſunt, ut eis opus fuerit hanc ipſam cauſſam ad exterum hominem, & alienigenam deferre, cujus verbis, ac ſcripto in nos declamantes inveherentur, neque illi in hac re calamitates temporum propter diuturnum bellum cauſari queunt, quod nobis etiam cum illis commune fuit. Nulla enim ætate aliquem ſuorum huc adducere poſſunt, qui aut ſuis, aut aliorum ſcriptis in re literaria nobilitatus alicujus nominis fuerit.

Dicturo autem de noſtris, qui hac ætate non modo in literis ſe exerceent, ſed etiam ad ſummam laudem, gloriamque contendunt, opus eſſet mihi cum Poeta nobili ordiri Ε'σωετενυμ οἳ μόυςσαι. Hic ideo vos oratos volo, Judices, ne ex mea tenuitate, aut dicendi mediocritate Cremonenſes

Ora-

Oratores metiamini; in principio actionis attuli caussam quare præteritis, atque relictis summis Oratoribus, ac doctissimis viris, quibus abundat Civitas nostra, ipse ego unus, neque ingenio, neque auctoritate, neque facultate par huic Caussæ electus fuerim. Habet, ut etiam semper habuit Cremona in omni literarum genere tam Græce, quam Latine eruditissimos viros, quos omnes si hic enumerare vellem, tempus hercule me potius, quam Oratio deficeret; neque me existimetis loqui de iis, qui literas primis labiis degustarunt, sed de iis tantum ajo, quorum laus sita est excelso, & illustri loco, quorum sempiternis monimentis non tantum patria nostra illustratur, sed etiam hæc ætas amplissimam gloriam est consecuta. Hi enim sunt amplissimi in primis viri alta quadam mente præditi, qui ut apud sese essent, & ex natura viverent, se a subselliis, idest ab omni ambitione in ocium contulerunt, multarum, atque optimarum artium scientia præclari, & in omnibus rebus præstantes viri, in primis honorati, & principes in Civitate, in ocio cum dignitate versantes, remoti ab invidiæ procellis, quos omnis Civitas adit, omnis ætas, omnes ordines consulunt. Tantæ autem sunt eruditionis, ut nisi essent temperatissimi, ac modestissimi, profiteri possent, se scire omnia, quæ sunt mandata literis ad omnem humanitatem, lumina, atque ornamenta hujus sæculi. Ex iis autem [sunt enim non pauci] aliqui multa, ac varia lectione instructi, sunt sola rerum cognitione contenti, neque admodum eloquentiam, neque agendo, neque scribendo exer-

cent, rerum, exemplorumque, & omnis vetustatis periti: alii vero ad hunc forensem usum Rethorum institutionibus perpoliti, omnibusque, & naturæ, & doctrinæ præsidiis ad dicendum parati, ut de quacumque re ad quæstionem, ex tempore, non modo copiose, verumetiam ornate dicere possint, in quibus admireris tam amplitudinem Platonis, quam Aristotelis admirabilem quandam scientiam, & copiam. Hic sane aliquem non est necesse nominare, quoniam adhuc vivunt; sed fretus sum vestra prudentia, Judices; scio enim plerisque vestrum eos esse notissimos. Qui vero se ad historiam scribendam contulerunt, non modo quam Latine, sed etiam quanta cum dignitate id munus obierint, relinquo orbis terræ judicio statuendum, cum ea præsertim perfecerint, ediderintque, quæ de ipsis Caroli V. rebus præclarissime gestis moliuntur. Poetas autem habemus, non tantum suaves numeros, fabellasque, & omnem antiquitatem tenentes, sed cætera quoque, doctos, & sapientes, graves sane viros, & honoribus quoque amplificatos, qui interiores, & reconditas literas penitus perscrutati sunt, & ad veterum Poetarum laudem pervenere. Vix hic queo me continere quin tantorum virorum nomen jamdiu ubique pervagatum, nobilitatumque prodam præsertim eorum, qui extra aleam, supraque omnem invidiam jam sunt collocati. Sed neque etiam in hoc insultabo vehementius, neque insolentius oratione volitabo, tum instituti mei memor, ne quem ex iis, qui adhuc vivunt, vel honoris caussa nominem, tum quod iidem ipsi cum

Gre-

Cremona huc proficiſcerer, mihi id omnino interdixere contenti ſua laude, & hominum conſcientia: ſunt nimirum prudentia, & temperantia moderati, ac continentes; & quamvis laudibus in tota Europa floreant, atque hominum ubique ore laudentur, magna tamen laudis contemptione inſignes ſibi potius eſſe volunt, quam aliis videri; dicunt enim, ſibi ſatis eſſe ſecum frui benefactorum recordatione, & quicquid agunt in iis ſtudiis, quicquid moliuntur, non tam ad honeſtandum nomen ſuum, immortalitatique commendandum, quam ut de communi hominum vita, præſertim de re Chriſtiana, ut religioſi, & pientiſſimi, optime mereantur: omne enim ſtudium ſuum, omnem curam fixerunt in ornanda Religione, commentitia disjungentes a fabula, ut quæ ab antiquis Poetis intacta, atque illibata uſque ad hæc tempora relicta fuerant, ipſi verſibus latinis illuſtrata Muſis commendarent, a quibus quoniam Chriſtiana pietas, atque omnis ſanctitas omnino abhorrere videbatur, neque cum eis aliquid commercii habere, ipſi magno labore, atque induſtria effecere, ut aliquis locus eſſet reconciliatæ gratiæ, & quæ ipſis Muſis clauſa, atque inacceſſa hactenus fuere, pervia ipſi fecerunt, atque patentia. Hæc ſi negent Papienſes, quod minime reor eos eſſe facturos, regiones mutas implorabo, & ſola terrarum ultima, maria, portus, littora, & inſulas. Quæ enim ora, quæ ſedes, aut locus, quo non jam pervaſerint poetarum noſtrorum, non tantum fama, verum etiam ipſa poemata, ac monimenta tot ubique exemplaribus propagata, atque

dif-

diffusa? ubique gentium leguntur, ediscunturque, & imitanda a præceptoribus doctissimis viris juventuti in scholis proponuntur. Quid vero etiam cum ea evulgaverint, quæ recentissime elaborarunt, sed adhuc tenent compressa, ut postea emendatiora, limatioraque edantur, poemata sane inusitata & incredibilia, de abditis, reconditisque rebus, quibus nemo est ausus usque in hanc diem aspirare? Et ut poetarum modo de poetis loquar, nostra ætate a nostris poetis ad summa inaccessarum rupium juga per asperrima montium molli admodum, & plano tramite adductę sunt Musæ; ipsi tamen modestissime fatentur, se sperare alios quospiam post se futuros, qui viam, quam ipsi perruperunt, molliorem, ac faciliorem reddere possint Musis omnibus approbantibus: sibi satis esse quod aditum patefecerint, & tantæ rei aliquod quasi specimen posteris commonstrarint.

Non committam, ut prætercam duas præclarissimas Virgines Cives nostras, quarum altera, & Græcis, & Latinis literis apprime erudita, de quacunque re opus fuerit, & versu, & soluta oratione, non tantum docte, & copiose, sed etiam eleganter, & apposite dicit, ac scribit maxima cum audientium, & legentium admiratione: Altera, inter egregios pictores nostri temporis merito connumerari potest, multis aliis artibus, ac virtutibus utræque insignes, utræque bonis parentibus ortæ.

Multos habet Civitas nostra, qui, ut innuimus, Græce luculenter sciunt, sed neque etiam desunt, qui Hæbreorum linguam optime calleant

Viri insignes, & honesto loco nati. Alii quoque Ægyptiorum literas, & Chaldæorum, Phænicumque attigerunt. Hæc satis sint dicta de Literatis nostris, qui adhuc sunt superstites, in qua re est facile Papiensibus nos præstare, cum eorum, quos adducere queant, norim adhuc neminem: ea propter neque item ero multus in recensendis antiquioribus Cremonensibus illustribus viris de re literaria optime meritis, cum nostra Civitas in omni ætate amplissimos semper genuerit. Amisimus superioribus annis duos Literis, atque doctrina Græce, & Latine præstantes viros. Benedictum Lampridium Alphenum, & Hieronymum Fundulum, quorum morte sane immatura nostra Civitas, una cum tota re literaria, ubique magnam jacturam fecit. De iis mihi non admodum multa dicere est necesse, cum illorum adhuc sit adeo recens memoria, ut in animis vestris eorum nominis impressa esse vestigia certo sciam. Id aliis probabunt eorum luculentissima scripta, quæ ab hæredibus propediem, ut audio, edentur; illo etiam tempore, quo primum literæ, ac bonæ artes post devastatam a barbaris Italiam, sublatamque omnem humanitatem, reviviscere, & quasi postliminio restitutæ redire cæperunt, nostra Civitas tulit Baptistam Platinam in scribendis historiis inter omnes sui temporis qualescumque produxit ætas illa, admodum præstantem. Agnoscimus etiam inter nostros Joannem Balistrarium clarum testimonio illius auctoris, qui de Italia illustrata scribit historiam, cum etiam se in literis per eum profecisse fateatur. Sed ne, Judices,

vos

vos diutius teneam in talibus recensendis, revoco vos tandem ad illustria, & felicissima tempora, in quibus literæ, & bonæ artes ad summum fastigium pervenerant, cum summi essent Poetæ, summique Oratores, cæterique rerum scriptores omni ex parte in suo quisque genere, omnibus numeris absoluti, atque perfecti. Inter lectissimos Poetas fuit noster Quintilius Varus, carus Virgilio, Tibullo, Horatio, & cæteris poetis præstantissimis illius ætatis, ut Horatius ipse sæpe in versibus suis attestatur. Ejus viri judicio, atque censuræ sua poemata corrigenda, castigandaque non tantum inferioris ordinis Poetæ subjiciebant, verum etiam ipse Virgilius admonenti, & quodammodo præscribenti obtemperavit. Non omittendum etiam mihi arbitror M. Furium Bibaculum, qui temporibus Lucretii Cari floruit, fuisse Cremonensem, ut comprobem quod dixi superius, Cremonam omnibus ætatibus habuisse viros in omni literarum genere præclaros, qui Orbem terrarum implerunt nominis Cremonensis gloria. Hujus Poetæ non nulli versus etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, licet propter ætatem duriusculi; vix enim eo tempore Latini poeticam attigerant, quam paullo post ad elegantem cultum deduxere. Cæterum, quoniam dixi superius omnem præstantiam ingeniorum in nostris hominibus evenire cum quadam vi Cæli occulta, solique natura, tum optimis Civitatis institutis, & legibus, id probare possumus non tantum in iis, qui ocium negotio prætulere, & ad studia literarum se contulerunt, verumetiam in illis omnibus,

qui versati sunt in republica; quorum virtus, justitia, & integritas spectata fuit omni ætati magno theatro, ut intelligatur, Cremonenses præferendos esse Papiensibus, quod præstantiores illis viros semper habuimus, non modo optimarum artium scientia, verumetiam maximarum rerum gloria; quocumque enim animum, ingeniumque intenderint nostri homines, ibi summi fiunt, & quadam præstantia excellentes. Est plerumque nostrorum Civium ea patientia, ea virtus, atque frugalitas propter optima Civitatis instituta, quibus prohibetur licentia cupiditatum, ut nulla desidia, nulla luxuria ab officio, & a rectissima vivendi ratione revocentur, contra vero, omnibus summus labor in publicis, privatisque rebus, summa item parsimonia, summa diligentia. His adminiculis adjuti, qui ex Civibus nostris rempublicam administrarunt, id summa laude semper fecerunt, & cum quadam omnium admiratione; quod nostris temporibus vidimus in Andrea Burgio, qui carus prius Maximiliano Imperatori, mox Ferdinando ejus nepoti Romanorum regi, multa, & magna negotia in Italia, in Germania, Galliaque, & Hispania gessit, multis, & magnis legationibus functus, in quibus se omnibus probavit, ne mihi sit magnopere necesse ab inferis excitare tot antiquissimos Viros cives nostros, quorum consilio, virtute, rebus gestis, maxima gloria Civitati nostræ parta est. Quod enim hic me recensere posse arbitramini pares Marchisino Stangæ viro, & consilii magni, & virtutis exquisitæ, cui maximarum rerum fidem Ludovicus Sforcia

cia semper habuit in reipublicæ Mediolanensis administratione, omnium consiliorum suorum participi, ne dicam auctori. Jo: Baptistæ Speciani vero quanta fuerit virtus, & in rebus gerendis prudentia, erit illis, qui hominem non viderunt, fortasse incredibile, vobis vero, Patres, qui eum bene nostis, non admodum multa dicere habeo. Meministis, eum primum inter alios juris peritos in judiciis prætoriis, pedaneorumque judicum subselliis versatum, operamque reis defendendis navantem a Francisco Sforcia ad majora evocatum fuisse, & in hunc ordinem vestrum cooptatum, simulque in tota Provincia Quæsitorem, & rerum capitalium non modo judicem, sed etiam vindicem constitutum, cum summa, & libera, in quemcumque vellet maleficii reum, animadvertendi potestate, mox multis, magnisque in rebus spectata viri virtute, quæ sub toga contineri non poterat, suis indiciis in dies magis, ac magis prodita, ab eodem Sforcia, Quæstor creatus est totius exercitus, quem ad se tuendum contra hostium potentissimorum vires maximum coegerat, & cum esset bonus consilio, nec minus bello strenuus, ita eam quæsturam administravit, ut non tantum commeatibus procurandis præesset, præfectis fabrum præscriberet, stipendia militibus in tempore persolveret, populis, ac Civitatibus operas, vecturas, naves, remiges, arma, tormenta, bellique instrumenta imperaret, & alia id genus administraret, quæ propria sunt ejus potestatis munera, verumetiam Sforcia omnia posuerat in ejus diligentia, ac fide, quæ ad Imperatorem pertinent, ut pene

ſummam imperii teneret, legionibuſque, non ad alterius præſcriptum, ſed ſuo arbitrio imperaret. Caruit tantum Imperatoris nomine, cum partes ſuſtineret, omneſque Imperatoris numeros impleret. Nihil omnino agebatur in re militari, niſi ad ejus ductum, omnes etiam Literæ de ejus ſenſu deſcribebantur. Morte deinde ſublato Sforcia, translataque omni Provinciæ ditione ad Cæſarem, eundem locum obtinuit apud Antonium Lievam ab ipſo Cæſare provinciæ cum ſumma poteſtate præpoſitum. Vix homo Hiſpanus ſatis mirari poterat, quod quidquid Speciano muneris injunxiſſet, quamvis arduum, ſtatim ille tranſactum reddebat, & omnia mandata celerrime exhauriebat. Majori etiam poſtea fuit auctoritate, ac poteſtate, ſummam imperii adminiſtrante Alfonſo Avalo Vaſtio, qui etiam ipſe ei ſummam rerum publicarum fidem habuit, non ob ſolam ejus operam, quam promptam, expoſitamque multos annos præbuit tribus illis præclaris viris, verumetiam propter alias ſingulares ejus virtutes, temperantiam, fidem, abſtinentiam, innocentiam, & integritatem; tres enim illos Magiſtratus ſimul caſte, & integre geſſit, in quibus ſi late patenti poteſtate, atque licentia uti voluiſſet ad quæſtum, non dico maximam pecuniarum vim, verum montes aureos, ut ajunt, conflare potuiſſet; atqui ejus animum nulla unquam lucri ſpes tranſverſum egit, quem adverſus pecuniam, avaritiamque, cæteraſque cupiditates invictum ſemper geſſit, ut is, cui bonum, & æquum, omnibus divitiis carius, antiquiuſque ſemper fuiſſet. Ita modice rem ſuam fami-

familiarem auxit, ut quemadmodum in ea paranda nemini unquam nocuit, nemini etiam invidiosa esset, cum tamen admoneri potuisset, non esse sibi in tanta occasione indormiendum, sed assidue operam parandis opibus navandam ob satis magnum numerum filiorum; jam enim jus duodecim liberum assecutus fuerat, quos omnes optimæ spei, & indolis in mediocri patrimonio reliquit morte immatura præventus, ob nimis laboriosam, ut ego quidem existimo, vitæ rationem, quam, ut demandatis sibi tot muneribus satisfaceret, jampridem susceperat. Defuncto Civitas nostra, ut Civi de patria optime merito publice decreto sepulcro, parentavit, justaque magnifice sumptu publico persolvit; quem honorem apud nos post hominum memoriam nondum ulli civium ante eum contigisse satis pro comperto habemus. Multus fui, Patres, in commemoranda hujus viri virtute; non tamen id nimium vobis debet videri, qui tanti Collegæ vestri præstantiam illam multis, & magnis virtutibus exaggeratam spectatam habuistis. Cogor tamen rationem hujus loci habere, & cæteros quamplurimos præstantes viros nostræ Civitatis, quorum operæ pretium esset hic renovare memoriam, silentio præterire; quod quidem minus moleste fero, cum meæ actioni parum id obesse intelligam; neminem enim suorum ad hos, quos memoravi, Papienses mihi objicere possunt. Neque etiam est, quod sane elaborem in recensendis civibus nostris præclarissimis viris, quibus per religionem Sacerdotia amplissima fuerunt demandata. Nempe mul-

tos, & magnos ex omni ætate viros enumerare possem, qui in honestissimis Civitatibus cæremoniis, & Sanctitatibus præfuere Antistites, infulis, religionisque insignibus ornatissimi, ex quibus etiam aliqui consecuti fuerunt, ut Romæ in augustissimum Purpuratorum Collegium cooptarentur, qui Pontifici Maximo tanquam Sacrorum Regi assident consiliarii, atque administri, quod puto Papienses non negabunt, cum etiam hac ætate non desint nobis præstantissimi viri, qui ad hunc, & illum honoris gradum honestissimis nominibus evecti sunt: nostis sane vos, Judices, qui Viri, quibus meritis id assequuti, nec omnino inficias ibo, non nullos ex Papiensibus quoque aliquando ad eadem Sacerdotia pervenisse, ad quæ nostri arrepti sunt; numquam tamen probabunt, suos nostris, qui adhuc vivunt, quemadmodum honore, ita quoque dignitate pares fuisse.

Demum omissis his, quæ in umbra, & ocio geruntur, ad Solem, & ad pulverem exeamus, MAJUS enim, ut inquit ille, OPUS MOVEO. Comparavimus hactenus virtutem nostrorum civium, cum virtute Papiensium, sed de ea virtute tantum egimus, quæ ad solius animi vim pertinet, & ad intelligentiam, nunc ea virtus in comparationem veniat, quæ comunis est animi, & corporis, quæque cum initium ab animi magnitudine sumpserit, tamen fundata est corporis viribus, ac nervis. Fortitudinem igitur, & vires, & robur utriusque nationis discutiamus, & alteram cum altera conferamus. Experiamur nunc an ad tantum dementiæ sit deventum, sintque isti tam insigni-

ſignite impudentes, ut audeant hiſcere, cum intelligent, hic agi de re militari, in qua nobiſcum veniant conferendi, quo ab omnibus mortalibus cognoſcatur eorum audacia, & impudentia, cum plane ſint plures Cremonenſi nationi præfecti militum, & duces, qui cum ſignis, & imperio eunt ad bellum, quam Papienſibus milites, pluresque nobis milites, quam illis cives, quod, Judices, non tantum vobis notum, ſed omnibus prorſum populis, ac nationibus exploratiſſimum eſſe arbitror. Quoties expertus eſt Cæſar, quod & dicere ſolet, Cremonam eſſe ſibi opportunum belli ſubſidium, ibique certiſſimos creari milites, quorum ſemper illud ſolum fuit ſeminarium? Sentit quotidie bellicoſiſſimus Imperator, magnas, & firmas copias apud nos ſemper inveniri, ſeque ſemper habere Cremonæ paratum exercitum, expeditos duces, militum præfectos, & centuriones, & jam cunctis audio perſuaſum eſſe, in tota Italia Cremonæ in primis vigere diſciplinam rei militaris, & hanc eſſe propriam, ac peculiarem quamdam laudem civitatis noſtræ, cujus fuit ſemper præſtabilis quædam ſcientia, ac præſtantia in univerſo jure belli, ac pacis, uſque eo, ut cum conſtat aliquem eſſe Cremonenſem, jam vulgo inoleverit, ut eundem poſſis affirmare fortem, & artis militaris peritum; jamque de Civitate noſtra vulgo prædicatur, quod de Ithaca olim Ageſilaus quidam dixiſſe fertur, eſſe optimæ prolis nutricem, & virtutis Gymnaſium. Id vero ne recens eſſe exiſtimetis, & præſenti ætati fortuito quodam ſiderum concurſu accidiſſe. Pro comperto habetur, in noſtra Civita-

te viguiſſe ſemper ſtudia militaris diſciplinæ, noſtramque nationem ſemper habitam bellicoſiſſimam, utpote qui a Populo Romano omnium gentium victore maxima ex parte originem traximus, quemadmodum majorum noſtrorum res geſtæ illuſtres veterum annalibus atteſtantur. Atque ego equidem de patre audivi, in urbe noſtra, avi ſui memoria, adhuc veſtigia ſpectari vetuſtiſſimi templi, olim Victoriæ conſecrati, quod mox mutata Religionis ratione, Victori Martyri a majoribus noſtris dicatum fuit; & in eo fama celebratum eſt, fuiſſe aram Virtutis literis marmoreis conſcriptam, ac conſignatam. Proditum quoque reperitur monimentis Scriptorum haud contemnendorum, Romanos, dum eſſent rerum Domini, officinam armorum Cremonæ inſtituiſſe, ut apud eum populum, & qui ſibi eſſet cognatione, & ſanguine, nedum ſocietate, & amicitia conjunctiſſimus, & quem rei bellicæ diſciplina clarum noverant. Durat adhuc conſervata a noſtris hominibus Virtus illa, quæ fuit propria Romani generis, neque ulla unquam ætate Cremonenſes obliti fuerunt priſtinæ Civitatis ſuæ; ſervat plane noſtra illa juventus Martiam ſeminis naturam, non modo in animis, ſed etiam in nervis. Noſtri adoleſcentes boni, & fortes, flos omnis nobilitatis, non ſe dant luxui, aut inertiæ corrumpendos, neque ſe perdite amoribus implicant, neque libidinum illecebris, ſed jam id ætatis flagrantes gloria, veræque laudis cupiditate ardentes, quodam animi incredibili robore præditi, quoties e ludo, ac pueritiæ diſciplina redeunt exacto diei labore in literis, vacatio-

ne

ne a præceptoribus impetrata, alios adolescentes adultiores adeunt, quorum ætas Militiæ patiens, quique Sacramento implicati in aliquo bello nomen dedere in militum numero conscripti, illis penitus se dant in consuetudinem, & familiaritatem, cum illis de armorum genere loquuntur, de exercitationibus castrensibus, de excubiis, de stativis, deque omnibus militaribus actionibus, paullatimque se labori assuefaciunt, ut inediæ, algoris, & vigiliæ patientes fiant; ideo quotidie conspiciuntur, uti est mos Civitatis nostræ, equitare, jaculari, cursu, ac palæstra cum æqualibus certare ad exercendam virtutem, desidiamque minuendam; vix eis a parentibus de manibus arma extorqueri queunt; deinde, cum per ætatem licet, tradunt se in disciplinam alicui, cui sit eximia belli scientia, ut ab eo institui queant. Habet siquidem ea sive ars, sive studium, sive exercitatio, sive facultas a natura profecta, in nostra Civitate quosdam quasi Magistros viros ornatissimos, ac præclarissimos veteris Militiæ exempla; quorum virtus in juventute, & res gestæ in omni ætate illustres. Ad horum domos, quasi ad quasdam veluti scholas confluunt adolescentes, ibique certa quadam, & exquisita ratione disputatur quotidie de re Militari, de optima belli ratione, deque fortissimorum virorum, qui in laude vixerunt, virtute agitur, quæriturque, quousque alicujus acute dictum, tam domi, quam militiæ dissimulandum, ferendumve æquissimo animo a forti viro, in quem contortum fuerit, quomodo etiam vindicandum, verbis ne refellendum, an

facto

facto opus sit, præsertim si mendacii ille insimuletur. Qui deinde cum alio sibi certamen instituere possit; quosve provocantes, ut indignos negligere, & præterire possimus existimatione salva; an injuriose dictum, factumve, ullo verborum genere emendetur, aboleaturve; ad utrum pertineat alteri armorum genus præscribere, locumve pugnæ dicere; quæ sint leges æquabiles privati certaminis, & cætera, quæ spectant ad hujusmodi dimicationem, quam vulgo, minus scite duellum vocant. Et quando res Militaris quoque, sicut cæteræ artes, habet sua præcepta, atque instituta, ornatissimi viri illi veterani, & multorum stipendiorum Milites precibus adolescentium humanissimorum inducti sæpe, coactique, permagna auditorum frequentia sermonem instituunt de iis rebus, quæ maxime inesse debent in certissimo, & optimo Milite, ut omnes numeros expleat, ut de ejus officio, de vitæ ratione, tam domi, quam foris; aliam esse vivendi licentiam in castris; aliam in hibernis; temperandum omnino ubique ab injuria, atque maleficio, more populi Romani, maxime apud socios populos, Docent illi præterea adolescentes ab ineunte ætate animum assuefacere ad omnes difficultates, atque acerbitates perferendas, & ubi ineundum prælium instat, aut ubi quodvis injectum est periculum, atque discrimen nihil prorsus metuendum, nisi turpem famam; nullove casu detrectandam esse Militiam, semper cogitandum, naturam homini exiguum vitæ curriculum circumscripsisse, immensum vero gloriæ spatium reliquisse; & quoniam

niam laxiore imperio tota ejus rei disciplina dissolvitur, exercitusque vel maximi interdum dilabuntur, admonent sancte ad antiquæ Militiæ rationem parendum esse ducibus, ac tribunis, enixeque cuivis cavendum, ne sæpe culpa sua in castris seditiones cooriantur; opus esse plurima semper facere, & pauca de se loqui, præsertim, ne quis ea, quæ non fecit, præ se magnifice, atque inflate jactitet, semper glorias, semper pugnas loquendo; abstinendum item omnino ab inanibus provocationibus, ne quenquam ab re facile lacessant, procaces, ac petulantes; si vero ipsi fuerint lacessiti, non dissimulandum, sed animo forti, atque alacri vultu, ne metum præseferre videatur, pugnam suscipiendam, inimicitiasque, & fortiter propulsandam injuriam, paulatimque optimi Magistri ejus artis scientissimi ab imis inchoantes ad majora semper instituta, quasi per quosdam gradus progrediuntur, eumque Militem informant, ac perpoliunt, qui non tantum centurio, tribunusque Militum, sed etiam summus Imperator facile evadere possit. Iccirco prosequuntur etiam suo ordine, quæ sint centurionum ipsorum, tribunorumque, & cæterorum præfectorum, legatorum etiam partes, ut ad quemque spectet Militum suorum numerum, diligenter, sancteque integrum custodire, ne quis furtim subductus desideretur, stipendiumque nondum confectum auferat, item excubias singulis, & cætera munia pro hominum dignitate, aut facultate partiri, ac distribuere, Militesque in officio continere, eorumdem animos permulcere interdum, & motus seda-

re,

re, atque mollire, suam quemque classem administrantes, in seditiosos, & Militiam detrectantes animadvertere; furta, cæterasque injurias, & maleficia punire. Præcipue autem jucundissimum est præclarissimos Magistros audire, cum tanta auctoritate, tantaque dignitate semper rogati, atque impulsi disputant, quibus virtutibus ornatum esse oporteat eum ducem, ad quem omnia aliorum ducum, ac præfectorum imperia respiciunt, summaque rerum, atque omnium consiliorum reducitur. Itaque illi non tantum auditores habent eos adolescentes, qui Militiæ Sacramento se astringere cupiunt, sed etiam eodem animi causa conveniunt alii perfrequentes, qui se in aliis artibus exercent. Mediusfidius ego in eis audiendis sæpius libentissime consumerem totos dies, si mihi esset aliquot tempus a negotiis publicis vacuum. Quid enim gratius esse potest, quam præstantissimos viros veluti heroas quosdam de maximis rebus maxima auctoritate disputantes sæpius audire? quas potissimum res oporteat inesse in summo Imperatore, neque enim satis per se esse contendunt rei Militaris scientiam, sed ei adjiciunt quoque virtutem, auctoritatem, ac felicitatem; has enim quatuor res concludunt oportere non modo inesse, sed singulas elucere in eo, qui in bello vult summe aliis imperare, ut præclare obire possit, quæ suæ sunt partes, jubere Milites apud se Sacramentum dicere, exercitum lustrare, atque aciem instruere, castris semper locum peridoneum capere, callide hostium consilia præripere, sua celare, ac dissimulare; super omnia famem, ac cibario-

bariorum inopiam vitare, cunctaque consiliis antevertere: providere ne ab hoste suis commeatibus prohibeatur, sed potius eniti, ut illum omnibus copiis intercludat; hostibus item insidias collocare, eas ipsum vel abstrusas semper longe prævidere, ac præcavere; Militum licentiam castrensibus legibus, edictisque prohibere; urbes expugnare; aciem hostium profligare; scire uti victoria, præmia militibus pro strenue factis, militaribus donis, ad excitandam cæterorum virtutem persolvere, licet fortissimo cuique, sit per se amplissimum præmium ipsa gloria. Quid quoque agendum in angustiis rei frumentariæ, quidve cum receptui suorum timet propter imminens, subitum, atque improvisum periculum, cum, inquam, ex re atque ex tempore consilium capiendum; addunt multa de virtutibus Imperatoris, de labore in nogotiis, de fortitudine in periculis, de celeritate in conficiendo, de consilio in providendo, deque communibus virtutibus, quas in Imperatore summe enitere oporteat, liberalitate, continentia, æquitate, ac severitate, plurimisque aliis; contra, detestantur avaritiam, libidinem, cæterasque indignas cupiditates, quibus, concludunt, nihil esse magis contrarium imperio, atque amplitudini. His, atque hujusmodi præceptis, & institutis informati nostri adolescentes evadunt strenui, certi, ac præstantes milites, quos maximis exercitibus secure possis præficere, quive patriam, ut in omni ætate semper fecerunt, præclare factis illustrare possint. Hæc studia vigent apud nostros cives; hæ sunt populi Cremonensis artes ad ratio-

tio-

tionem veteris militiæ. Nec dubito, ſi Cremona urbs Græca extitiſſet, cum in Græcia floreret eloquentia, quin Spartanorum Civitate civium fortitudine præſtantior haberi potuiſſet. Quid dicam de pueris, qui non modo in extremo pueritiæ tempore, ſed in ipſo ætatis floſculo ludicris exercitationibus vires explorant, diviſaque in duas quaſi colonias Civitate, hinc, atque hinc magno concurſu ad bellum vicatim exciti, acie utrimque inſtructa collatis ſignis prælium ineunt animoſi bellatores, & quando illis arma a parentibus, magiſtratibuſque ſunt interdicta, pugnis rem gerunt; uſque adeo infeſtis animis confligunt, iraſque, & animorum ardorem in hoſtem ferunt, ut perſæpe utrimque ad ſanguinem uſque deveniatur, vixque a ſpectatoribus dirempto duello revocari, reprimique poſſint, pugnaque interdum avulſi torve hoſtem reſpectant, & animi ferociam vultu ſpirantes pejora minitantur; ita a parvulis duritiæ, ac labori ſtudent. Scio equidem commune eſſe omnibus nationibus, ut juventus ubique belli ſit percupida, foriſque adoleſcentes æquioribus animis imperia ducum ferant, quam obeant quæ domi a parentibus mandantur, propriumque, & a natura inſitum eſſe juventuti (de ingenuis loquor) arma cupere; nuſquam tamen gentium arbitror ardentioribus ſtudiis quam a noſtris motum, & tumultum expeti, ſummeque expectari. Ad tenues belli rumores adoleſcentes nobiliſſimi quam alacres, Dii immortales! erecti, citati, armati, animis dum bellicum canatur, expectant; arma, ſaga, bellum flagitant; ſed quid dixi nobiliſſimi,

cum

cum iisdem studiis non tantum flos nobilitatis teneatur, sed idem omnibus sit ardor mentis ad gloriam? nec solum ingenui, & honesto loco nati, verum etiam tenuissimorum multitudo; omnes mente, voluntate, studio, voceque consentiunt cupientes, ut vera Romanorum soboles, illum spiritum, quem naturæ debemus, patriæ, & huic imperio gloriose reddere. Cum in Italia delectus haberi cæpti sunt, nusquam priusquam Cremonæ tumultum esse decernitur, nulla interposita mora justitium indicitur; ad saga itur; in urbe maxima vis militum conficitur; nemo vacationem militiæ deprecatur; nemo utitur ætatis excusatione, adolescentes omnes ignominia notantur, qui militiam subterfugiunt. Intermissis forensibus, cæterisque civilibus negotiis, summi, medii, infimi dant nomen; qui literis studium navabant, relictis subselliis, eruditorumque umbraculis, conscribuntur; mercatores, opificesque, quorum quæstus in tabernis, ipsi quoque volitantes cupiditate gloriæ clausis tabernis, dimissoque sellæ suæ, operisque, ac quęstus quotidiani loco, arma sumunt; ex agris item robustissimi milites exciti, relictis aratris, cæterisque rusticis instrumentis, veluti prisci illi Quirites, quorum genus sumus, gladios, & pila arripiunt; maximæ statim conflantur copiæ; priusque semper Cæsar in tanta oppugnatione rerum quas gerit, apud nos paratum, confectumque exercitum habet, quam alibi futuri belli rumor audiatur; quæ copiæ; Dii boni! quæ cohortes! quæ centuriæ! qui equitatus! quæ levis armatura! ibi; mediusfidius, robur

est, & soboles militum. Quippe, ut alia omnia nostri egregie, tamen hoc munus præclarissime administrant, nihil in bello, præter ignominiam metuentes; ut enim magnas, & firmas copias habemus, sic etiam earum expeditos duces, militum præfectos, tribunos, & centuriones, quorum rei militaris eximia est scientia; & ne me forte arbitremini, ut in plerisque Civitatibus contingit, de tribus, aut summum quatuor loqui, ajo, affirmoque, Cremonam subsidio mittere posse asperis, durisque temporibus ad propulsandum Reipublicæ periculum supra XL. duces fortissimos viros, qui interfuerunt bellis superioribus cum signis, & imperio, sciunt me non mentiri, si qui in hac corona adsunt, qui semel militiæ adscripti fuerint. Novit præclare ipse Gonzaga nostrarum cohortium nervos, & aliquando expertus est, atque ut video, mihi quæ dico, nutu affirmare videtur. Sunt enim tales ut non magnopere egeant mea commendatione; ipsimet fortissimi viri se solida vi, ac virtute probant; malunt ii profecto prædicationem laudis suæ collocatam habere in manibus suis, quam in lingua cujusvis, vel eloquentis Oratoris, soliti semper plurimum facere, minimum vero de se loqui. Quoties cum proximis, tum superioribus bellis externi Italos ad ostentandam suæ quisque Nationis virtutem æquatis, & numero, & armis ad certamen provocarunt, ut constante fama, & multorum sermone celebratum est, in omni perduellium, pugillumve delectu, nunquam fere Cremonenses propter virtutis præstantiam præteriti fuerunt; semper-

perque, & victoriam, & victoriæ parta insignia magna cum Italiæ laude ab ea pugna reportarunt, cui aliquis nostrorum civium interfuit; illis enim ab ineunte ætate veluti natura insitum est quodam incredibili animi, & corporis robore magnis periculis ad summam laudem, & gloriam contendere. Ubi quippiam controversiæ, aut de finibus, aut de jure agrorum, vel fluminum, ut fieri interdum solet, inter nos, & finitimos populos cooritus, juniores nostri propter crebras præliorum contentiones ferocitate exultantes statim ad arma prosiliunt, atque ad suam vim revocare cupientes seniorum consilia semper caventium, quoad possunt, ne res ad manus, pugnamque deveniat, non verbis, & rationibus, sed potius pilis, & gladiis transigendum censent, vixque e manibus eorum arma evellere possunt seniores, quibus convenit impensius in medium consulere. Quod vobis, quæso, nunc, Papienses, esset consilium, nisi gravissimi viri nostræ Civitatis, quos addecet magis ratione, quam armis protectos esse in posterum longe prospicientes, exultantem juventutem ob hanc ipsam controversiam repressissent? Ubi enim rumor hujus contentionis per urbem dissipatus est, statim armati adolescentes vicatim coacti maxima frequentia præsto affuerunt, ut sunt proni ad iram, animis exacerbati, cunctorum vox, & sermo erat. Quoniam agitur inter nos de principatu, quæratur honos, & excellentia, non ex jure manu consertum, sed potius manu, & virtute periclitemur. Ponantur honoris, ac dignitatis insignia in medium: Sit vero fors domina cam-

pi, ſunto, quibus ſua cuique virtus, & Mars dederint. Quæ tum vobis fiducia, quæ ſpes eſſe potuiſſet? quid ſi rei militari præſtantiſſimus Ferdinandus id permitteret, ut tantæ controverſiæ aliquando finem imponeret? Sed bene vobiſcum agitur, quod licet Civitas noſtra ſit militiæ, belliciſque ſtudis ſuapte natura dedita, habet tamen graviſſimos viros, quibus potiſſimum curæ eſt in poſterum conſultius providere, & ætatis fervorem in junioribus reprimere. Reſerventur potius hæc militiæ robora adverſus communes hoſtes hujus imperii, & tantum diſceptatore Senatu, de jure noſtro ſolidis rationibus experiamur; non enim, iis judicibus, veremur quin vos tandem pæniteat in alienas honoris, ac dignitatis poſſeſſiones tam temere irruere voluiſſe. Non ſum prædicaturus quas, quantaſque res geſſerit terra, marique, populus Cremonenſis; remitto vos ad annales veterum, qui gentis noſtræ ſemper habitæ bellicoſiſſimæ rebus præclare geſtis ubique redundant. Hic extollere poſſem multa majorum noſtrorum egregie facta omnibus veſtiiis impreſſa, ſed eſſet quodammodo hiſtoriam contexere velle, & annales veluti ſcribere: unum vobis ſatis eſſe poſſet, Papienſes, ad reprimendam inſolentiam veſtram, quod ſupra innuere, ac ſignificare tantum volui, cum de utriuſque municipii frequentia agerem. Confecto enim a Romanis bello ſecundo Punico, & ſecuto Macedonico, cum capta Placentia, Gallique circum Padum habitabant, & Ligures rerum novarum cupidi, Amilcare Pœno Duce, trajecto Pado Cremonam ferro, manu, copiis oppugnatam obſi-

obsiderent, ejus populi virtute, multorum dierum obsidione tollerata, tandem audito auxiliarium copiarum, quæ a Romanis subsidio missæ fuerant, adventu, facta eruptione, non solum civitas, versis in fugam hostibns, se ab obsidione liberavit, sed prælio inito, totum Gallorum, Ligurumque exercitum profligavit, ac potius delevit, cæsis, captisve supra Gallorum quinque, & triginta millibus, interfecto insuper Amilcare, cum tribus Gallorum Ducibus apud illam nationem summo loco natis. Hac nuntiata victoria tanta fuit Romæ lætitia, ac gratulatio, ut a Senatu trium dierum supplicatio decreta fuerit. Monstratur adhuc a nostris locus tantæ pugnæ; (Battalionem appellant) ab urbe circiter mille passus distat, quem etiam nunc ab eo prælio nomen servare arbitramur; prælium enim Galli Battaliam vocant. Quæ vero postea, & quanta bella Cremonenses, dum suis legibus in summa libertate viverent, contra finitimos populos gesserint, quasve victorias, & triumphos reportaverint, nihil hic sane est necesse commemorare, sed multa eorum insignia capta adhuc apud nos servantur, carri, & naves vetustissimę, quæ omnia missa facio, ne vicinarum, ac sociarum Civitatum invidiam in nomen Cremonense concitem, odiaque restincta resuscitem, cum amicitia nunc sit inter nos, & summa benevolentia, & ut videtis, in hac caussa nobis summis studiis adsint, atque a nobis quicquid imminet periculi, cupiant propulsare. Quoniam autem Juventutem Cremonensem interdum bellicosam, ferocem, Martiamque appellavi, ne

quis forte autumet, gentem nostram natura solum fortem, ac robustam, vi, atque impetu animi valentem, pronamque ad iram, & omnibus sine delectu, atque discrimine infestam esse: sunt cives nostri (fateor) militiæ plurimum deditti, miraque omnibus est aviditas belli, & gloriæ cupiditas; nihilque nisi turpe nomen, & famam metuunt; ea tamen est omnium fere disciplina, ac temperatio, suntque ita plerumque a majoribus instituti, ut nemini pacato unquam noceant, nec nisi lacessiti ad arma veniant. Quin ipsa natura, & consuetudine lenissimos, atque humanissimos omnes, quibuscum eis est res, experiuntur; militiam sancte, atque integre colunt; in hibernis, cum socios difficillimis temporibus opus est sumptum facere in militem, sunt abstinentissimi, & de suo potius hospites egentes, & miseriis coopertos propter diuturna bella liberaliter alunt. Nostri vero duces, & militum præfecti, tribuni, ac centuriones ea fide, & integritate obeunt munus suum, ut nemo unquam, non dico notatus, sed ne accusatus quidem fuerit, quod ab eo falsus deferretur militum numerus, quodve quæstui equites haberet, nihil loci est apud eos avaritiæ; omnia referunt ad gloriam, quæ apud nostros semper omnia potuit: exacto bello, Imperatoris judicio laudati, quod opimæ prædæ loco nationis nostræ hominibus semper fuit, domum redeunt, forumque, & relicta subsellia repetunt, non multo minus domi, quam militiæ præclari opifices, ad suæ quisque sellæ, operisque, & quotidiani quæstus locum revertuntur; intermis-

missamque textrinam, sutrinamve, aut agriculturam, ac cæteras quisque suas artes redintegrant domi togati, armati foris, perpetuo majorum nostrorum more, non furtis, aut latrociniis dediti, ut pronum est alibi nostra tempestate militum genus, nulli sicarii, nulli percussores, nulli lanistæ, sed suo quisque labore, atque opera vitam tolerant nullius rei nisi laudis cupidi. Qui igitur honestis patrimoniis carent, in aliqua se compendiaria arte exercentes, expectant dum rursus orto bello Imperatoris jussu ad arma vocentur malarum artium insolentes.

Qua vero fide nostri Duces, & Milites, populusque, & tota Civitas erga Rempublicam, atque erga Sacrosanctum Imperium se semper gesserint, quivis ex Livii historia facile intelligere poterit. In omnibus enim bellis, quæ Romani gesserunt contra Carthaginem, contra Philippum Macedonum Regem, contra Aetolos, Achæos, Antiochum Regem Syriæ, & Persem, quem Æmilius devicit, nunquam Cremonenses destiterunt de Romanorum Imperio bene mereri, eis ad præscriptum semper milites dando, & stipendia, ad constitutum diem persolvendo. Illustrius tamen Cremonensium fides visa est elucescere, præ omnibus aliis, bello secundo Punico. Nam cum ex XXX. Coloniis, [tot enim Romani tunc habebant] XII. fessæ propter diuturnitatem belli, atque ad extremam inopiam, & solitudinem redactæ recusarent Romanis pecunias, & milites dare, & propterea consternatis animis Romæ judicaretur actum esse de imperio, quod reliquas idem esse facturas pu-

taretur, fuit Cremona inter illas XVIII. Colonias, quæ in fide, & officio permansere, quæve Romanis responderunt, se milites paratos habere ex formula, & plures etiam daturos, & quicquid præterea populus Romanus imperaret, velletque, enixe facturos; ad id neque sibi opes deesse, animum etiam superesse; neque se eos unquam deserturos, sed eundem casum subituros quemcumque populo Romano fortuna tribuerit. Consules Legatis eorum responderunt, sibi parum videri pro merito eos sua voce collaudari, nisi universi Patres in Curiam coacti gratias omnibus egissent; nec tantum Senatus eos honoratissimo Decreto est allocutus, verumetiam ad populum produxit, ut inter alia præclara, quæ ipsis, suisque majoribus digna præstitissent, etiam commemorarent recens eorum meritum, quod tanti fuit momenti, ut Livius testetur, earum Coloniarum subsidio tunc stetisse populi Romani Imperium, præfatusque sit idem auctor exquisitis illustrium verborum ornamentis, se non commissurum, ut eorum fides, & virtus post tot sæcula sileatur, fraudenturve laude sua, singularum nomina recensendo; inter eas autem Cremonam fuisse, ejusdem Scriptoris, aliorumque testimoniis clarissime constat. Nemo unquam nostrorum civium memoriæ proditus fuit, oppidum, arcemve, aut propugnaculum fidei suç ab Imperatoribus creditum pretio corruptus hosti vendidisse; non quæro, vestri ne cives ullo unquam tempore id fecerint, nam mihi constitui meos potius laudibus suis ornare, quam si quippiam a vobis peccatum esset oratione insectari.

Nemo

Nemo unquam ex noſtris militibus memoria non modo hominum, ſed etiam annalium proditionis, aut perfidiæ inſimulatus fuit; nemo notatus ignominia, nemo ex tot cohortibus, quas noſtra Civitas ad bellum miſit fluxæ fidei transfugæ loco habitus eſt. Omnibus ab ineunte ætate ob diſciplinæ veteris ſanctitatem inſitum eſt, præſentes fructus negligere, poſteritati tantum, & gloriæ ſtudere. Cum bellum imminet, in Municipiis ab Imperatore externi milites, ut præſidio ſint, locari ſolent, in urbe vero noſtra nullum exterorum præſidium collocatur. Committitur Civitati ob ejus ſingularem, divinam, & incredibilem fidem, ut ipſa ſibi ſit præſidio, quod nulli aliæ Coloniæ, aut Civitati permitti ſolet. Compertiſſimum eſt, & veterum annalibus valde celebratum, majores noſtros aliquando ſociis, & fœderatis, ſicut Saguntinos, & Maſſilienſes, fidem uſque ad perniciem coluiſſe. Cum enim poſt C. Cęſaris mortem Romani in ſpem recuperandæ libertatis ingreſſi eſſent, videreturque interim aliqua ſpecies Reipublicæ reviviſcente libertate, alterum fatali quadam calamitate bellum civile exortum eſt, aut potius idem redintegratum C. Octavio regnum appetente, oppugnataque ob id iterum libertate, cumque illi ſeſe Brutus, & Caſſius, & non nulli alii principes Civitatis opponerent, diſcerptuſque eſſet populus Romanus in partes duas, Cremonenſes homines longinqui, & ab urbe Roma valde remoti, ambigentes utra pars juſtiorem cauſſam haberet, utriſve potius obtemperandum, ad illam partem, quæ poſtea victa fuit,

fuit, fato neſcio quo Civitatis noſtræ miſero, atque funeſto impulſi ſunt, potius culpa erroris humani, quam ſcelere, ſecutique ſunt eam cauſſam, quam ſemper probarunt antequam belli civilis ulla eſſet ſuſpicio. Si fatendum eſt eos erraſſe, erraverunt opinione officii, ſtulta fortaſſe, certe non improba, ſpecie quadam Reipublicæ decepti; qui error fuit communis cum multis, quibus viſum eſt potius totius Civitatis auctoritatem ſequi, quam unius hominis voluntati parere, cum præſertim non eſſet eorum judicii, neque virium diſcernere utra pars juſtius pugnaret. Opinione igitur lapſi, ſi aliqua humani erroris tenerentur culpa, a ſcelere certe liberati erant. Sed erroris ſui haud debitas quidem, verum neceſſarias cum multis aliis populis pœnas dederunt, diviſo eorum agro poſt Philippenſe prælium, datoque veteranis; quæ res etiam Mantuanis propter vicinitatem damno fuit, atque incommodo, ut Publius Virgilius teſtatur vulgato carmine deplorans patriæ ſuę calamitatem. Temporibus etiam Vitellianis civium meorum fides inviolata, perpetuaque conſtantia, Civitatem adduxit in maximas calamitates. Cum enim jam Veſpaſianus regnum affectaret, eam, ut ſupra memoravi, prælio ad Bebriacum pugnato, tolerataque multorum dierum obſidione, captam, direptam, everſam, ac complanatam prope delevit, ut vix ſimulacrum urbis, aut ullum veſtigium remanſerit, quam calamitatem nemini dubium eſſe poteſt, ſi hiſtoriis credimus, Cremonenſes accepiſſe, quod nullis periculis adduci potuerint, ut om-

nibus

nibus malis, atque incommodis conflictati Vitellio Imperatori fidem fallerent, qui antequam ulla illius civilis belli esset opinio, urbem in potestate habebat, civesque sibi jusjurandi religione obligaverat. Scit etiam Carolus V. Imperator, & meminisse potest, quantis incommodis, detritrimentisque affecta fuerit nostra Civitas diuturna illa obsidione, ne sacrosancti hujus Imperii exercitum desereremus, qui difficillimis temporibus duce Corradino Germano, nihil potius habuit, quam Cremonam confugere, & salutem suam Cremonensium non minus fidei, quam muris concredere. Populus Cremonensis, ea virtute, quam supra memoravimus, præditus, sumptis armis, perfecit, ut Cæsariani milites æquissimis conditionibus incolumes ad unum dimitterentur, multis tamen prius a Civitate, ut id efficere posset, acceptis detrimentis. Longum esset, & prope infinitum omnia enumerare majorum nostrorum egregie facta, in quibus eorum officium, ac fides erga Rempublicam, & socios cum virtute enituit; unum tamen silentio non præteribo. Quippe superioribus bellis cum inter Cæsarem, & Regem Gallum pactæ essent multorum annorum induciæ, Gallus, qui Mediolano, ejusque totius provinciæ ditioni, a qua dejectus fuerat, aspirabat, rerum novarum cupidus, quietisque diuturnæ impatiens, violatis clam induciis, Albam, Clarascumque, municipia in Ligurum finibus munitissima, quæ a Cæsarianis tenebantur, a suis tentari, capique jusserat, missisque per noctem ab Augusta Taurinorum tot cohortibus, quot judica-

dicabat satis fore ad eam rem patrandam, bipartito exercitu sine ulla difficultate Clarascum cepit, perterritis repentino tumultu, nocteque intempesta Cæsarianis militibus, qui ibi erant in stativis. Albam quoque jam deventum erat, jamque Gallicanus exercitus duce Jo: Antonio Benevellano, superata fossa, admotis scalis, muros ascenderat, aliqui etiam demissi ad terram, urbem jam ingressi erant, Cæsarianis stipendiariis, qui ibi in præsidio collocati fuerant, cedentibus, arcemque, & tutiora loca urbis propere petentibus, parumque abfuit quin Albæ eadem fortuna fuerit, quæ Clarasci; munitissimumque municipium, quod semper fuit contra Gallorum vim Cæsaris oppidis, ac rebus valde opportunum propugnaculum procul dubio devenisset in hostium potestatem, nisi obstitisset insignis fides, & memoranda virtus Cremonensis Sacerdotis, qui est in ea Civitate Sacrdotum Princeps, & Sacrorum Antistes. Ille enim, audito tumultu, cognitoque periculo, statim abjecta pontificia persona, sumptoque sago, populum sibi incredibili benevolentia devinctum, multisque nominibus obnoxium armavit, factoque agmine ad semicaptæ urbis locum properavit; hostes, qui jam ingressi fuerant, capti sunt; qui murum ascenderant, dejecti, deturbatique in fossam præcipites. Demum cæteri omnes fugæ consilium, projectis omnibus, cæperunt, multis relictis scalis, sudibus ferreis, harpagonibus, cæterisque bellicis instrumentis, cum magna vi pulveris sulphurei, quibus omnibus Albensis populus potitus fuit. Facile poterant Galli ad unum

occi-

occidione occidi, omnesque illæ Cohortes Gallicanæ penitus deleri, nisi in posterum providens Episcopus veritus esset, se, & suos nocti committere. Si igitur Sacerdotes, quorum vitam, & consuetudinem alienam, remotamque esse oportet ab armis, tanta virtute præditi sunt, tamque præclara facinora faciunt, ne non in fide permansisse argui possint, qualem militum nostrorum, Patres, virtutem, ac fidem esse arbitramini? Interrogatus postea aliquando ab amicis Sacerdos ille noster, licuerit ne Pontifici posthabita religione, arma capere, & se profanis, & bellicis actionibus implicare, respondit, licere omnibus a patria periculum propulsare, & se esse ejus generis, & Civitatis, quæ Reipublicæ semper utilis fuit, & fide, & virtute, neque se posse a suis degenerare. Possem præterea hic congerere innumerabilia Diplomata a Romanis Imperatoribus nostræ Civitati attributa, in quibus, ipsorum testimoniis fides Cremonensium ad Cœlum usque tollitur. Federicus Imperator ob insignem civium fidem honoris caussa, Cremonam appellat fundamentum Imperii, ob eandem fidem, quam nostri Imperatoribus inviolatam semper præstiterunt. Lodovicus Cremonæ cudendæ monetæ potestatem dedit, Cremamque nobile oppidum ei subjecit, cæterique posteriores Imperatores, qui Civitatem nostram aliquo beneficii genere prosecuti sunt, præfati fuerunt, id dare, ut esset fidei gentis nostræ sempiternum monimentum. Non negabit id, qui Diplomata ab Atavo Caroli V. ejus nominis Carolo IV. data legerit, quorum testimoniorum fidem

fidem sanctam esse oportet. De ipso autem Carolo V. nihil sane est necesse dicere; qui sæpius populi Cremonensis fidem, atque constantiam expertus est, atque quotidie experitur. Ne quis forte vero autumet, me loqui de nostræ Nationis spectatissima fide in rebus tantum publicis; idem sentio judicandum esse de mutua civium inter se fide, & integritate in privatis negotiis.

Namque, ut cætera vitia insignia non audiuntur in Civitate nostra, Divorum, ac religionis contemptus, parricidia, testamentorum suppositiones, venena, circumscriptiones adolescentium, incestus, aliaque id genus tragica libidinum portenta majoribus victimis expianda, deportandaque in ultimas terras; maxime a nostris abest perfidia, atque avaritia, qua inhiante toties alibi est locus fraudationi. Si quis apud nos quempiam fraudasse in contrahendis negotiis deprehensus fuerit, statim, ut pestilens, aut parricidia ab omnibus evitatur, nemo rationem cum eo, nemo rem ullam contrahit; omnes ejus non modo commercium, ac consuetudinem defugiunt, sed etiam aspectum exhorrescunt. Quicquid agunt nostri, seu vendant, seu emant, conducantve, aut locent, aliisve rationibus contrahendis implicentur, fide bona, ac prisca id plurimum faciunt, quemadmodum inter bonos, ut dicitur, & prisca formula agier oportet. Id quoque non possum hoc loco silentio involvere memoratu dignum, quod in Civitate nostra nuperrime factum poterit sempiternum exemplum esse, & monimentum contra perfidiam, atque avaritiam; neminem nominabo,

ne

ne ab instituto discedam, quoniam optimi viri, quorum fides mihi est explicanda, adhuc vivunt; neque ipsi nominari volunt contenti sola optime facti conscientia. Quidam in Civitate nostra satis dives, qui multos annos amplissimo, atque opulentissimo Sacerdotio præfuerat; homo frugi, & parcus e sua longi temporis parsimonia permagnum auri cœlati, atque signati pondus conflaverat; is, magis morbo, quam ætate confectus, quod esset tenuis admodum valetudinis, intelligens sibi vitæ finem adesse, sciensque, eam pecuniam haudquaquam hæredibus suis, sed magis illis, qui aliorum misericordia vivunt, deberi, ut e sacris fundis, frugibusque, & fructibus quæsitam, duos ornatissimos, atque optimos viros Civitatis advocat, qui sibi aliqua consuetudine conjuncti erant, quique in Civitate semper habiti sunt digni, quibuscum, ut ajunt, in tenebris mices, eosque remotis arbitris secreto in cubiculo flens allocutus asseruit caussam, cur eos potissimum accersierit sub extremam vitæ suæ horam; se semper ambos eos viros judicasse, quibus nunquam bono, honestoque divitiæ potiores fuissent; se igitur nunc ambos obtestari, per amicitiam, fidemque, ac probitatem, quas semper, sancte, ac prisce coluisse omnibus judicati sunt, atque ab eis vehementer petere, summeque contendere, ne sibi deessent, suæque ultimæ voluntati, quam testamento committere non poterat legibus prohibitus, & religionibus, quibus alligatus erat, impeditus; opem ferrent; non se invitum e vivis excedere quod omnibus officiis, ac muneribus morta-
lis

lis vitæ ſatisfeciſſe ſentiret; curſu bene confecto, expletaque peregrinatione, eſſe tantum unum, cui ſe defuisse doleret; hoc ſolo angi, & minus alacri animo ad æternam illam, & communem domum demigrare; id autem eſſe tandem, quod ex religioſorum prædiorum fructibus aliquam pecuniarum vim ad ſummam plusquam mediocrem congeſſiſſet, ut fundos coemeret, unde ali poſſet ſatis amplus numerus hominum, a quibus res receſſiſſet, quoſve mendicare ingenuus pudor prohiberet, memores generis, & priſtinæ ſuæ fortunę; id ſe facere in vita quotidie comperendinando uſque in hunc diem diſtuliſſe: nunc autem cum ſit morti proximus, imminere periculum, ſi res extra emanet, ne in eam pecuniam irruatur; opus eſſe ſilentio, ac fide. Se igitur omnem rem amborum vicariæ fidei, & pietati committere; quibus dictis, eis, nullo teſte, auri copiam fecit, quod ambo, rei ipſius domino ſolo vidente, ſub pallio aſportarunt, auroque onuſti domum ſuam uterque redierunt; ſubmiſſo deinde ab eis ignoto homine, cui ad ſpeciem, ut hoc commento rem tegerent, & a ſe omnem auri ſuſpicionem removerent, ægrotans Sacerdos ſaculos oblongos vili plumbo pro auro refertos tradi juſſit quaſi per Sycophantiam, mandavitque ei coram familiaribus, ut de, neſcio quem, commentitio nomine deferret. Mortuo non multo poſt Sacerdote, pecunia expenſa, cum primum data eſt facultas mercandi fundos, ejus voluntatem optimi viri, optima fide, ad obolum executi ſunt. Jam dudum, judices, quietus verba facio, abſque contentione,

&

& multa me dixiſſe ſentio extra comparationem: non tamen eadem videri poſſunt extra cauſſam. Quid enim ad ea, quæ extremo loco plurima de Civitate noſtra prædicavi, adverſarii habere poſſunt, quod de ſuo Municipio mutiant? eo autem tendit mea tantarum virtutum de Civibus noſtris prædicatio, quas commemoravi omiſſa omni contentione, ut, quod inter mortales ſemper fuit difficillimum, gloria invidiam ſaltem vinceremus.

Heſterna, hodiernaque actione breviter proſecutus ſum ſingula, quibus quæque Civitas alia aliam antecellere poſſit. Nam in dicendo, in omni ſcientiarum, artiumque, & virtutum genere ſemper mihi ſe ampliſſima ſilva offerebat præſtantiſſimorum hominum Civium noſtrorum, verum in pauca contuli, ut hanc moleſtiam citius a vobis, qui maxime eſtis occupati, dimoverem. Etenim in ſingulis rebus ejuſmodi materies redundat, ut ſingulos dies commode conſumere poſſem. Verumtamen in omnibus facile probavimus Cremonam Papia longe ſuperiorem eſſe, ut quiſque manifeſte intelligere poſſit, Papienſes de excellentia cum omnibus provinciæ Civitatibus contendentes dejectos eſſe omnino de principatu, eoſque hærere in ſalebra, & undique teneri, a tergo, a fronte, a lateribus; eorum cauſſam labare, totam rem vacillare, convulſis iis omnibus fundamentis, quæ eis validiora, ſolidioraque videbantur, probavimus, Cremonam longe Papia antecellere antiquitate originis; nobilitate generis; frequentia populi; civiumque ſplendore; ædificiorum item,

tam publicorum, quam privatorum magnificentia; censu quoque, ac divitiis; soli felicitate, & ubertate agrorum; moribus, legibus, & institutis; industria, optimarumque artium studiis, virtute imprimis; fideque, ac gloria rei militaris. Quæ omnia non modo locupletissimis testimoniis, firmissimisque argumentis probavimus, sed etiam physicis, exploratisque rationibus confirmavimus, quas nunquam adversarii illa emptitia Oratione refellere valeant, quam ardentibus studiis audire cupimus, ut videamus quæ sit tanta Oratoris conducti eloquentia, aut potius confidentia. Adduci ne poterunt, ut ad hæc respondere, aut omnino hiscere audeant, cum res ipsa loquatur, cum omnia non modo explicaverim, sed ante oculos ita repræsentaverim, ut queatis ea, non dico intelligere, sed etiam sensibus comprehendere? Si mentis erunt sanæ, nec ita prorsus excordes, non elaborabunt ut confutent ea, quæ, non dico, vicinarum Civitatum, sed Orbis terræ judicio, ac testimonio comprobantur, ipsi etiam eadem confitebuntur, atque approbabunt, & si qui Viri graves, & probi sunt apud eos, esse enim complures arbitror, ii si me audient, omnem culpam transferent in cupidam juventutem, ejus dementiam deprecati, quæ non publico consilio, sed privata temeritate turbulentissima ratione controversiam in re tam perspicua, tam alieno tempore excitavit, solaque confessione dabunt pœnas rei male salutaris, & penitus omissam hanc caussam, atque desertam abjici, taciteque antiquari


patien-

patientur, nisi velint ab omnibus explodi, atque exsibilari. Ita, Judices, vestrarum occupationum rationem habentes, a vobis hanc molestiam dimovebunt, ne crastino die vobis audire sit necesse me refellentem ea, quæ secundum se facere adversus nos contendunt.





CREMONENSIUM
ACTIO TERTIA.
Adversus Papienses in Controversia Principatus.



Perabam, Judices, ex iis, quæ hesterna actione satis explicate pro facultate differui contra Papienses in contentione amplitudinis, me imposterum dicendi labore, & vos audiendi tædio pariter levatum iri. Nemo enim ex illis, qui aderant, fuit, ut intelligo, qui non judicarit adversarios tot constantibus rationibus superatos, planeque convictos, ac manus dantes ultro cessuros, abiturosque deserta, abjectaque causa, cum ad ea, quæ ego differuissem viderent, nihil quod eos admodum levaret responderi posse. At vero illos de suscepta caussa nulla vis, nulla ratio depellere potest controversos, & inquietos; suamque temeritatem nimis impudenter, perfracteque defendere adhuc volunt. Mirabar mecum quænam esset istorum tanta arrogantia, undeve originem duceret. Interim quidam

dam adolescentes nostræ Civitatis nobilissimi, qui hoc tempore Papiæ juris civilis scientiæ perdiscendæ dant operam, me admonuerunt, se totam actionem Papiensium legisse in hac controversia dignitatis, ab aliis adolescentibus sibi familiaritate conjunctis imprudenter traditam; & eam quidem, retulerunt, haudquaquam esse perpetuam orationem, sed interruptam potius scriptionem, & quædam quasi tantum capita rerum instar commentarii paulo plenioris, quibus rationes, & argumenta Papiensium continentur, quorum quatuor, ad summum quinque validiora, & firmiora sibi videri, reliqua vero posita esse, ut numerum augerent, & Orationem ipsam pleniorem, ac refertiorem efficerent. Nihil illos magnopere efferre antiquitatem originis urbis suæ, aut conditorum nobilitatem; nihil minus quam de populi frequentia elaborare, nihil de optimis majorum institutis; de moribusve, & legibus Civitatis, de censu, & fortunis, urbisque amplitudine mirum silentium; de splendore civium, ne verbum quidem; de virtute, & industria hominum illos omnino obmutescere, ut intelligatis, eos non esse usque adeo stolidos, ut ausi sint mentionem facere de præstantia eorum virorum, qui doctrina exculti se literis, atque artibus dedunt homine libero dignis: nihil illos penitus de arte Militari, deque minorum opificum solertia, nihil de fide præstita, nihil de majorum suorum commendatione dicere. Omnem illorum fiduciam in illis quatuor, aut quinque positam esse, illaque eos sola prædicare, atque intoleranter jactare. Demum præter ea, quæ jam

pridem in judicium attulerunt pro sua caussa, ne literam quidem addere exceptis contumeliis, quas nobis imponunt. Significarunt enim nostri illi adolescentes, eorum Orationem admodum dentatam esse, & rabiosulam, magisque eis esse aculeos, quos in nos exerceant, quam nervos; pro quo parem gratiam relaturus eram, nisi Civium meorum æquitas, ac lenitas, meaque modestia obstarent; nunquam illi profecto apud ingratos beneficium posuissent; verum nostræ gravitatis semper fuit jus nostrum prosequi sine summa adversariorum ignominia, tametsi Oratoribus ubique gentium antiquissimum fuerit, Romæ præsertim, & etiam in Græcia, ubi humanitas nata esse dicitur, cum adversario agere, non modo libere, sed interdum etiam accusatorie, eumque cavillando, probris, & maledictis, citra tamen petulantiam, figere. Isti nobiscum, ut libuerit, nos autem cum eis agemus more nostro. Videamus tandem quænam ea sint, tam solida, tam firma tantæ superbiæ firmamenta. Audite quæso; Judices, atque animadvertite. Ajunt, Papiam Cremonæ præferendam; primo; Quod in ea historia, ubi agitur de pace Constantiæ, cum contigerit utriusque Civitatis fieri mentionem, ordine præpositam fuisse Papiam, ut ibi legatur, PAPIAM, CREMONAMQUE. Idem factum fuisse in novis Constitutionibus Caroli V. Imperatoris nuper editis in provincia Mediolanensi servandis; eundem quoque ordinem semper tenuisse ferunt Sforcias Mediolani Regulos, & quotquot huic provinciæ ab Imperatoribus Romanis præpositi fuerunt, eosque in omnibus decretis, & epistolis,

tam

tam publicis, quam privatis, cum nomen suum ascribunt, Papiam fere semper anteponere solitos hoc ordine DUX MEDIOLANI PAPIÆ ANGLERIÆQUE COMES GENUÆ ET CREMONÆ DOMINUS. Afferunt secundum argumentum non multo firmius primo; se, nescio cujus Imperatoris Diplomate sejunctos esse penitus, ac sejugatos a Mediolanensis imperii ditione, Papiamque per se esse Præfecturam, quam vulgo Comitatum vocant. Inculcant deinde complura Imperatorum Diplomata, quibus municipium suum multis honoribus, & dignitatibus cohonestatum prædicant. Quarto loco multum spei jaciunt in Academia, & literarum Gymnasio, quod relictis, ac præteritis cæteris provinciæ Civitatibus Papiæ institutum fuit. Ultimo pugnant, se omnino Cremonensibus præponendos, vel ob id solum, quod Papiam Regum, regnique sedem per multos annos fuisse constat; cur non potius latronum receptaculum? Nihil eos præterea addere accepi, exceptis verborum contumeliis, quibus nos lacerant; sed in iis paucis esse omnem fomitem eorum arrogantiæ, atque superbiæ. Quæ quam nihil sint, non vereor, Judices, quin hodie vobis Oratione breviter planum faciam, si me benigne, attenteque, & bona cum venia audieritis, quod heri, & nudius tertius, vos facere in tota actione animadverti, & gavisus fui. Ad hanc reliquam dictionem alacri animo supra modum ingredior.

Jam enavigavit e scrupulosis cotibus Oratio, jam ex undis, & scopulis emersit, partem periculosissimam prætervecta, ut arbitror, sine offen-

ſione ; jam mihi adempta illa vincula, quibus alligatus, atque impeditus non poteram meo more excurrere, & Oratione volitare, jam compedes excuſſæ, quibus detinebar; rem vobis tantum nutu, & ſignis innuere cogebar, cum de dignitate, atque excellentia noſtræ Civitatis agerem, ne Vobis, Judices, omnibuſque illis, qui tunc aderant, quos etiam hodie, & multo plures adeſſe intueor, videremur de fortunis noſtris, de virtutibus, & laudibus ad omnem excellentiam intolerantius gloriari, fineſque modeſtiæ transgredi. Verebar, ne vanitatis a vobis notaremur, neve ſociis Civitatibus honeſtiſſimis invidiam, atque aliquam offenſionem excitarem; in illis locis invita verſabatur Oratio, cui juſſa meorum Civium ſemper moderabantur, neque extra cancellos egredi licebat, & ſi quando ſepta mihi circumdata tranſire, & velis paſſis longius provehi viſus ſum, meam eam omnem, non meorum Orationem fuiſſe confiteor. Prodeamus tandem in aciem, & diſcrimen. Inſpiciamus adverſariorum ſingula argumenta, eaque conſtantiſſimis, & neceſſariis rationibus ita infirmata proſternemus, ut luce clarius perſpiciant, quam nihil penitus afferant, quantiſque in tenebris verſentur, tam in nonnullis hiſtoriis, quam in novis Conſtitutionibus Caroli V. Imperatoris nuperrime editis. Cum contingit fieri mentionem utriuſque Civitatis, conſtat aliquando principe loco numerari Papiam. Hui! tam firmum, tam certum, tam inexpugnabile argumentum? tam exploratam rationem? Videte, Judices, quid tam perverſum, præpoſterumve excogitari poſſit, quaſi

enim

enim id semper consulto fiat, & de industria, neque magis casu, atque fortuitu, ut quæque prior Civitas in mentem venerit scribentis, ejusque memoriam moverit? quod facile judicare possunt, non modo illi, qui historias conscribunt, sed etiam omnes, qui earum lectione delectantur. Hic ideo non multus ero in congerendis exemplis, quibus luculentissime ostendere possem, talem esse scribentium consuetudinem, cum neque Papienses audeant affirmare, se ubique principe loco nominari; Id manifeste videri potest apud Livium tam consumatum rerum Scriptorem, quoties ei contingit duas præclaras Romanorum Colonias numerare, Cremonam, & Placentiam; non enim eundem ordinem semper servavit, sed aliquando Placentiam, interdum Cremonam priore loco nominavit. Si adversarii in jure peritum aliquem consuluissent, nunquam procul dubio tam inconstanti ratione innixi fuissent. Placet enim jurisconsultis prudentibus viris, istiusmodi ordinem non attendendum, nisi in rebus penitus involutis, atque obscuris, in quibus nulla alia apparent vestigia, unde veritas erui possit. Atqui hesterna, & superiore actione enumeravimus plurima indicia, & certissima argumenta, quibus manifesto constat, Cremonam longe Papia præstare; ideoque non opus esse nos ad istas argumentorum quisquilias, ad tam inconstantis, inquam, rationis angustias, & angulos compelli, cum jam, Papienses, probatum fuerit nostram Civitatem vestra longe antecellere antiquitate Originis, nobilitate generis, propter Conditores, populi frequentia, civium am-

amplitudine, & splendore, optimis institutis, opibusque, & omni virtutum genere, industria item, & arte militari; quæ sane omnia cum sint indicia, insignia, & admodum manifesta, veritatis, quid me revocatis ad obscura quædam signa, & fallacia vestigia? cum, inquam, mihi clarissima solis luce frui datur, cur me in tenebras noctis ultro conijci sinam? Eijcienda est ista omnis vestra ratio, quæ tota est nugatoria, & a sapientissimis viris jurisperitis jampridem repudiata; neque enim ulla ratione defendi potest, nisi forte velitis vestra caussa sanctissimas Leges etiam in jure pontificio antiquari, aut penitus abrogari, in quibus numerari contingit Italiæ antiquas Academias, & literarum Gymnasia, nulla habita antiquitatis, aut dignitatis ratione, ut interdum Bononiense, quod est antiquissimum, postero loco numeretur. Atqui in decretis, & epistolis Regulorum Mediolanensium constans, & perpetuus ordo, semperque idem servatus fuit, ut ascriberetur, Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comes, Genuæ, & Cremonæ Dominus. Ad ineptias identidem reditis, quasi vero istud ex proposito constantique Senatus consilio factum siet, & non potius fortuitu, ut quæque Civitas in mentem venit illi librariolo, qui primus in describendis illorum Principum epistolis fuit auctor istiusmodi ordinis. Si ista ascriptionis formula, Judices, pro cujusque dignitate nomen cujusque Civitatis numeratur, neque id potius casu, aut fortuitu fit, fateri erit nobis necesse Papiam, non modo Cremonæ, sed etiam Genuæ præferendam tam præ-

cla-

claræ (Dii boni !) Civitati, quæ ad regiæ Urbis prope majestatem accedit, Angleriamque, perexiguum, & desertissimum oppidulum, itidem, & Cremonæ, & Genuæ anteferendum. Quo quid dici potest obtusius? non enim negare possunt adversarii Genuam, & Cremonam enumerari tam post Papiam, quam post Angleriam, in eadem ipsa formula ascriptionum, quam tantopere præse jactant, nisi forte etiam Papienses nulli Civitatum amplitudine concedentes præfracte defendere velint, & Papiam, & Angleriam ipsam quantumvis contemptissimam, Cremonæ, & Genuæ omnino dignitate esse præferendas. Expecto an ita ferrei, ita impudentes respondeant, ut homines ab illis vix manus abstinere queant. Aut igitur, Judices, ille Civitatum ordo in ista formula incertus est, & fortuitus, aut si ulla subest ratio, nulla alia esse potest, quam quod ille, qui eas civitates isto ordine enumeravit imitatus est optimos Oratores, qui semper potissima quæque partim in principio, partim in fine Orationis locant, medium vero referciunt segnioribus; aut certe ille, quod maxime probo, rationem habendam duxit potius temporis quam dignitatis, ut primo loco eam Civitatem numeraret, quæ prius in Mediolanensium Regulorum ditionem, & potestatem venit. Siquidem Cremona nemini subjecta multos annos suis legibus vixit, multoque post Papiam adjecta fuit Mediolanensi imperio; quæ quidem ratio perspicue nosci potest in illa longissima regnorum enumeratione, quam Cæsar in Epistolis ascribere solet, ubi hac de caussa, si ad dignitatem respiciamus, omnia

fere

fere præpostere numerantur ; nam interdum quæ tenuissimæ sunt Præfecturæ regnis amplissimis præferuntur. Non pluribus agam, neque longius progrediar; iis, quæ dixi satis liquet, quam hæc omnis istorum ratio sit inconstans, inconsultaque, & quam tenui filo pendeat, cui plane ab omnibus, præsertim in jure peritis contradicitur. Nullum aliud argumentum afferre possunt voluntatis, ac judicii hac de re fortissimorum virorum, qui Mediolano, & toti provinciæ imperarunt, nisi in nominis ascriptione tenuem quandam, & perexiguam formulam, qua contendunt gravissimos viros, magnos illorum temporum heroas, de omni hac dignitatis, & honoris controversia statuisse; tantam inquam, rem, tam tenui, & obscuro indicio, tamque exiliter dijudicasse. Quid si vobis ostendo, Judices, quid iidem illi Heroes, non tenuiter, aut involute, non signis, & argumentis, quæ persæpe fallere possunt, sed re ipsa manifesto de utriusque Civitatis præstantia statuerint? Possem hoc loco multa eorum recensere beneficia, quibus Civitatem nostram præ cæteris totius provinciæ post Mediolanum cohonestarunt, quibus tanquam certissimis, firmissimisque argumentis indicarunt, quam sibi caussa nostra semper probata fuerit, quamve illustri loco semper nostram Civitatem præ vestra habuerint; sed ne nimius videar, omissis cæteris, quæ afferre possem, unum satis solum refragari poterit isti inani adversariorum numerationi.

Notissima loquor, & recentissima. Franciscus Sforcia novissimus Mediolanensium Dux ex Sforciarum nobilitate cum primum Caroli V. Cæsaris

ris nutu in regnum, & ditionem Majorum ſuorum reſtitutus fuit, ut erat vir ſummo ingenio, multa etiam doctrina, & plurimarum rerum uſu præclarus, non modo ad Cremonenſium poſtulata, ſed ipſe ſua ſponte, divino conſilio, atque optima mente cavit, ne quis Cremonæ Prætor jus diceret, niſi eſſet ex ampliſſimo Senatorio Ordine tanquam ex Areopago ſumptus, niſi, inquam, ex hoc Sacroſancto Collegio veſtro, ex veſtris inquam Conſeſſoribus, Judices, quos Vir ille perſpicaciſſimus cooptavit, in hunc locum non gratia ulla, amicitiave, aut commendatione majorum inductus, ſed quos frequens fama excellentis cujuſdam ingenii, & ſpectatæ virtutis undique commendabat, hoc honore amplificavit, nec ſolum ex provincia, Civitatibuſque ſuæ ditionis accerſivit, quos ea dignitate ornaret, ſed ex omni Italia, totaque prope Europa lectiſſimos viros undique aſcivit, quorum virtus ſpectata eſſet magno theatro; florem ſcilicet totius Italiæ, & prope Univerſi terrarum orbis quoddam ſelectiſſimarum virtutum quaſi ſpecimen. Neque eos facile probabat, qui tantum juris eſſent periti ad reſpondendum, & cavendum exercitati, ſed ab omnibus præterea exigebat eloquentiam, & plurimarum rerum ſcientiam, atque uſum, gravitatem, honorem, fidem, ut plurimis virtutibus ornati eſſent, ſimulque moderatis moribus commendati, omneſque, ut breviter expediam, virtutis numeros implerent. Ex iis floribus collegit bene amplum numerum, quos lectiſſimos in provincia juri dicundo, civitatumque gubernaculis præficeret, totius Italiæ, & omnis

nis Europæ insignia quædam lumina, atque ornamenta. Hunc gravissimum Ordinem, ut Vos quotidie experimini, qui habent in provincia controversias graves, atque arduas quæstiones, adeunt, jusque, & opem a vobis implorant, ne injuste iniquis, præposterisve municipalium Judicum sententiis conficiantur. Quodcumque Vos censueritis, judicaritisve firmum manet, atque perpetuum, neque ulterius ab hoc Ordine datur provocatio, & quæ a Vobis facta sunt Senatus consulta, pro oraculis habentur, & Cæsaris vocantur responsa, cujus etiam nomine inscribuntur. Functo deinde vita Sforcia, omnis potestas provinciæ ad Cæsarem omnino translata fuit, vel potius reversa. Hic sapientissimus Imperator non minore cura, ac diligentia vestro Collegio studet, ac favet; nam cum contingit, aliquem ex Collegis vestris morte e medio tolli, semper ex omnibus provinciis, ac regionibus lectissimum quemque accersit, quem in demortui locum Vobis approbantibus sufficiat. Quo factum est, ut tam Sacrosancti Concilii gloria sit usque ad Cælum evecta; jamque non tantum privatorum hominum controversiæ e provincia, sed tota ex Italia, finitimisque provinciis rerum publicarum caussæ gravissimæ interdum huc deferuntur. Quotidie Regum Legati ad Vos confluunt hac eadem de caussa, ut e Collegio vestro sumant sibi Judices, arbitrosque constituant; jamque Mediolanum omnibus provinciis, gentibus, nationibusque, & regnis præstat, quod olim toti Græciæ Athenæ. Arbitror equidem Vobis omnibus, qui adestis, Judices, notum esse quanta contro-

troversia fuerit superioribus annis inter Ferdinandum Romanorum Regem, & Venetos, de finibus, deque maximis rebus. Metus erat ne res ad vim, ad manusque deveniret, magnumque inde bellum inter eos oriretur. Demum convenit utrisque, ut Judex tantis controversiis daretur de Collegio vestro. Datus est Vir singularis ingenii, exquisitæque doctrinæ Lodovicus Porrus, quo disceptatore omnes illæ controversiæ paucis mensibus sublatæ fuerunt, utrisque partibus judicato acquiescentibus, judiciumque ultro approbantibus. Coactus fui hæc, Judices, longius fortasse, quam oportebat repetere, & Vobis præsentibus, atque audientibus, de Vobis ipsis verba facere, & de vestra in omnibus rebus præstantia, atque excellentia plura fortasse, quam hic locus patiebatur, dicere, in quo metuebam, ne quis Orationem meam parum probaret; quod inepte laborarem, ut Vobis ipsis, qui essetis, ostenderem, quantave esset vestri Ordinis dignitas. Ego vero in eam Orationem non casu sensim, ut fit interdum, prolapsus incidi, sed necessitate compulsus dicendi, non propter Vos, quos minime latet, quam alto, & illustri loco sita sit dignitas vestra, sed ut adversarii, qui nihil sentiunt, oculis intueri possint saltem ex Ordinis vestri dignitate, quanto majoris honoris prærogativa Cremonam præ Papia dignati fuerint non modo Duces Mediolanensium, sed etiam quanto honestiore loco nos habeat Cæsar ipse, qui perpetuo decreto sanxit non aliunde Cremonæ Prætorem dari, quam e Sanctissimo Collegio vestro, neque eum, qui Senator

tor verbo tantum ſit, factis vero minus, ad tempus tantum, dum Prætura durat, ſimulatus, ſed eum, qui tam re, quam nomine ſit in Ordinem veſtrum cooptatus, quique per aliquod tempus viſus fuerit vobiſcum in publicis judiciis præeſſe Collega veſter, atque conſeſſor. Papiæ vero, ut cæteris Mediolanenſis ditionis Civitatibus, ac Municipiis, Prætor datur utcumque juris peritus, undecumque aſcitus. Mediolano tamen non magnopere eſt neceſſe tam exquiſita ratione prætorem dari, quod in ea Civitate tamquam Regina, totius provinciæ Domina, Senatus ipſe, & cæteri ſummi Magiſtratus Prætoris munus in maximis rebus explere poſſunt. Quid ultra tenditis, Papienſes? quid adhuc tergiverſamini? Quid fruſtra pugnare nitimini? Si rationem veſtram cum noſtra conferatis, videtis quam noſtra præſtet, quam emineat, quam ſuperior dominetur. Illa veſtra enumeratio præpoſtera, ad quam ünam, tanquam ad anchoram confugitis, cui uni omnibus præſidiis deſerti, ac deſtituti mordicus inhæretis, verbo continetur, noſtra autem re fulcitur; veſtra, in eo conſiſtit, quod caſu; noſtra in eo, quod conſulto fit; veſtra, incerta eſt, atque inſtabilis; noſtra, firma, atque ſemper eadem; vos præ nobis fortuito numeramini; at nobis ex Decreto firmo, ſtabili, atque perpetuo, ex ampliſſimo Senatorum Ordine Prætores deſtinantur, qui Viri, Dii immortales! nam ſemper ipſius Collegii lumina, florem que omnem totius Concilii propter rei dignitatem ad nos mittunt, ut clariſſimus Vir Jacobus Philippus Saccus totius Collegii facile Princeps inter-

terdum quodammodo moleſte ferat, conqueraturque, quod ſingulis bienniis neceſſario ſemper Colgio dexter oculus effodiatur. Poſſem hic connumerare multos præclaros Viros, qui ex eo Ordine in Civitate noſtra cum poteſtate prætoria, atque imperio fuerunt; nec quemquam eorum ibi fuiſſe pænitere arbitror. Semper enim exactis bienniis, eo magiſtratu expleto, a nobis recedunt ita ægre, ita affecti, ut a cariſſima patria revelli videantur. Non eſt quod ſingulos honoris cauſſa nominem, quoniam eorum maxima pars hic præſentes eſtis, ſentitiſque me minime mentiri. Hinc factum eſt, ut Placentini vicini noſtri, & nunc quoque ſocii, homines acutiſſimi, non ignorantes quam præſtet, Civitatem optimum Prætorem ſortiri, nuperrime in ditionem Cæſaris, & poteſtatem ultro dediti inter cætera, quæ poſtularunt a te, Ferdinande, qui eam Civitatem in fidem tuam recepiſti, id primam fuit, ut ſibi æque, ac Cremonenſibus daretur Prætor ex Ordine Senatorio; quod tibi viſum eſt illis non negare, & ex omnibus Patribus mærente Senatu, & ne id fieret obſecrante, miſiſti Virum optimum P. Paulum Arigonium ſumma integritate præditum, plurimiſque, & optimis virtutibus ornatum, qui ibi Prætor jus diceret, cum maxime is unus ab illis expeteretur, quibus propter vicinitatem innotuerat, quam ſtrenue, quam integre, ſancteque, & priſce, is Præturam Cremonæ paulo ante geſſerit, amabilis omnibus bonis, improbis vero, & audacibus formidoloſus. An vero vobis, Papienſes, non videtur id per ſe manifeſtum argumentum

judicii, quod Mediolanensium Duces haberent de utriusque Civitatis dignitate, atque præstantia? quidve Cæsar ipse de nobis, ac vobis sentiat? ut enim nobis alia deessent, quæ omnia summa adsunt, & pro nobis pugnant, nonne id unum tale est, ut posset vobis eripere illud unicum præsidium relictum, quod locatis in præpostera illa formula, ubi principe loco numeramini? aut ita vobis contemnendus videtur Ordo Senatorius, ut id pro nihilo habeatis? Resipiscite tandem, Papienses; pudeat tam incertę, tam inconstanti, & inconsultæ rationi vos totam caussam commisisse. Cognoscite tandem, discussis vestris tenebris meæ Orationis radiis, quanto inflati errore ducemini. Jam vero, Patres, videamus, quid rationis Papienses secundo loco afferant, qua innixi contendunt, se Cremonensibus dignitate antecellere.

Ajunt, quorundam Imperatorum Decreto suum Municipium penitus sejunctum esse, ac sejugatum a Mediolanensi ditione, neque omnino tanquam provinciæ partem, provinciæ legibus obnoxium parere; atque de hoc sane extare Diplomata luculentissimis literarum monimentis clarissima. Huic rei argumento esse, quod in Decretis, ac Literis tam publicis, quam privatis, Reguli Mediolanenses cum nomen suum ascribunt, nominant se prius quidem Duces Mediolanensium, deinde Papiæ Comites, seu mavis Græco more κωμάρχους. Comitatus enim vulgo barbare dicitur, quod Præfecturam latine appellare possumus, cujus nominis rationem hanc esse ferunt. Nam cum aliquam regio-

gionem, tractumve cum oppidis, & Municipiis; Romanorum Imperatores commendabant alicui ex familiarissimis, quos semper secum affectatores habebant, ejusmodi Præfecturas Comitatus vocabant; quod illi, quibus eæ demandabantur, comites essent Imperatoris. Hinc etiam dicebantur Palatini, quod in Palatio cohabitarent; ne forte Papienses nostri tam verborum, quam rerum ignari errore ducantur; autumentque propter inscientiam, eo nomine se omnes esse Cæsaris comites; & sodales: Præfecturam igitur fuisse aliquando Papiam, neque concedo, neque valde repugno; nec me multum movent vestra ista aut commentitia, aut jampridem exoleta, & plane mortua Diplomata; ea vero per nos carissima habeatis, & quantumlibet diligenter conservetis, dum intelligatis tamen vos rem, quæ nihili est, ob inscitiam vestram magnipendere. Itidem Cremonam, si quid ad rem spectat, Præfecturam aliquando fuisse probare possem, & ut alia deessent; quæ multa suppetunt, id unum satis esse posset argumentum, quod videmus in nostra Civitate sacrorum antistitem Cremonæ Episcopum, & Comitem vocari, publicisque Decretis inscribi. Sed quæ malum est ista ratio? In agro Cremonensi sunt non parum multa oppidula minutissima, ac contemptissima, quæ i stiusmodi Præfecturæ nomen habent; immo pene ausim dicere; quot oppida, pagique, & vici sunt in tractu Papiensi, tot Præfecturas, Comitatusque apud nos esse, & ut aliqua, non tamen magni honoris caussa nominem; Covum, Antiniacum, Persicum, Castelletum Pon-

tionorum, Romanengum, & ſi Diis placet, etiam Macheſturma, ne inter ea enumerem Soncinum agri Cremonenſis nobiliſſimum oppidum, quam Præfecturam ſuperioribus annis adeptus fuit Maximianus Stampa ob fidem Cæſari præſtitam, operamque egregie Reipublicæ navatam poſt obitum Franciſci Sforciæ ſecundi Mediolanenſium Ducis Mediolani arce, cui præfectus fuerat, bona fide, ut æquum erat, voluntate Imperatoris tradita. Tempeſtate M. T. Ciceronis Tuſculum ſuburbanum Municipium non erat Præfectura, quod quidem erat Atina: cum autem eſſet quæſtio nobilitatis inter G. Plancium Atinatem, & M. Laterenſem Tuſculanum, qui eum accuſaverat, Cicero, qui Plancium defendebat, cum conferret Atinam Præfecturam cum Tuſculano Municipio, quod non erat Præfectura, non eſt auſus tamen Atinam Tuſculo adæquare, quod ea Præfectura, ut ipſe fatetur, non eſſet tam priſca, tam honorata, tam ſuburbana: ut intelligatis Præfecturam, Comitatumve nomen eſse potius Magiſtratus, quam honoris alicujus excellentis. Idem dicendum cenſeo de nomine Principatus, quo ſe adverſarii, ut audio, jactant, fuiſſe inſignitos a Maximiliano Romanorum Imperatore, id poſtulante Lodovico Maria Sforcia Mediolanenſium Duce; quod quidem quamvis mihi ſit ſane novum, nec hactenus unquam auditum, & ut ego quidem ſuſpicor, commentitium, ſit tamen ut lubet; mea cauſsa eſtote Comiti, aut Principi ſubjecti; nos Carolo V. Romanorum Imperatori una cum cæteris provinciæ Civitatibus interim obtemperabimus;

eique,

tique, ut Domino parebimus, quoniam Cremonæ Dominum se profitetur, vos autem ut Comiti; itemque, si ita magis lubet, ut Principi pætetote, aut ego id quale sit prorsus non intelligo, aut vos plane desipitis. Rogo vos, utrum honoratius arbitramini, principem ne esse Urbis, an Dominum? Neminem ita hebetem, ita obtusum esse reor, qui si ei detur optio, velit ne esse Civitatis Dominus, an Princeps, non protinus clamet, se malle Dominum esse, cum aliquis possit esse Givitatis Princeps, qui tamen ejusdem non æque sit Dominus; contra vero nemo Dominus, quin etiam simul Princeps. Nimirum hæc vox nihil aliud notat nisi quandam Ordinis prærogativam; idem est enim principem esse, & esse primum; dominari vero non est tantummodo ordine antecellere, verum etiam ditionem affert, regnum, atque imperium. Hinc ROMANOS, dixit ille RERUM DOMINOS; is enim titulus est tantæ dignitatis, & excellentiæ, ut non tantum Regibus conveniat, sed etiam Deo regum omnium Regi a mortalibus tribuatur. Hanc ob rem Augustus Cæsar moderatissimi animi Imperator edicto cavisse memoratur, ne quis se Dominum vocaret, superbissimum id esse ratus. Domitiano autem postea maximæ arrogantiæ datum fuit, quod hoc titulo non abstinuerit; Principis vero nomen nullus quantumcumque moderatus Imperator unquam recusavit. Id si negabitis, Papienses, cogetis me preter consuetudinem hujus loci, contraque meum institutum confugere ad Poetas, apud quos sancte, ac religiose Latinarum vocum sinceritas

ritas custoditur incorrupte; vulgatum est enim TU DOMINI NOMEN, PRINCIPIS ILLE TENET, carmen clari admodum Poetæ, qui fuit Augusti Cæsaris temporibus, cum maxime vigeret eloquentia; id contra quid adhuc pugnare possitis non video. Verum ne disputatio nostra videatur circa verba tantum versari præter hujus loci dignitatem, ad Græcorum quasi consuetudinem, alia aggrediamur via. Franciscus Sforcia, qui primus in Sforciarum domum insignia Imperii Mediolanensis intulit, antequam totius Provinciæ ditione potiretur, cum Blancam Mariam Philippi Vicecomitis filiam in matrimonium duxisset, tradita est ei a Socero Mediolanensium Duce Cremona dotis nomine, & cum is etiam Angleriæ Præfecturam simul obtineret, quæro a vobis, quonam titulo eum magis honoratum fuisse putatis, quia ne esset Angleriæ Comes, an quod Cræmonæ Dominus? Porro ille etiam nullam habuerit Præfecturam, quas vero retuli esse in agro Cremonensi permultas, detulerit omnes affectatoribus suis. Rogo vos, utros existimetis honore, ac dignitate præstantiores, eos ne quibus ab illo attributæ essent Prefecturæ, an illum ipsum, qui omnes attribuisset, nullamque sibi prorsus retinuisset contentus sola Cremonæ Dominatione? Videtis vos undique circumclusos; nam nisi secundum nos responderitis, ridebunt omnes.

Jamdudum, Judices, nimium tenuiter argumenta colligo, nimisque multa a me disputata sunt de re apertissima, quam nemo nisi excors vocaret in dubium. Id genus etiam est illa eorum distin-

ſtinctio, ac ſecretio a ditione, ac dominatu totius Provinciæ Mediolanenſis, quam tantum præ ſe jactant, namque ab eodem Diplomatum tam inanium fonte, quæ dictitant ſe habere, tota derivatur. Eam etiam probant illa ipſa eadem inſcriptionis formula, quam modo confutavimus, exploſimuſque. Nam Sforciæ Reguli nomen ſuum Decretis, & Epiſtolis aſcribentes, profitebantur, ſe non tantum eſſe Mediolanenſium Duces, verumetiam ſpeciatim Papiæ Comites, cum neque Placentiam, aut Parmam, neque Laudem, neque Novariam, neque Comum, neque Derthonam, neque Alexandriam, neque pleraſque Civitates nominatim numerarent, eas gneratim omnes complexi Mediolani nomine prolato. Vero, inquam, Papienſes tam inconſulta ratione nobiſcum agitis. Non vident cæci, ſi quid id eſſet, ſi quid cauſſæ ſuæ id ſuffragaretur, idem judicium de noſtra Civitate faciundum, cum pariter in eadem aſcriptione a Mediolano Cremona ſecernatur; ſed quæ (mala Crux!) eſt iſta Papienſium a cætera Provincia ſejunctio, atque ſemigratio? Quis poſſit ſatis iſtorum mirabilitatem admirari? tantam, inquam, inſcitiam, ac ſtuporem? Videte, Patres, quam omnibus claviculis innitantur, ne ruant titubantes, ac collabantes! Non poſſum ſatis eorum inſignem aut impudentiam, aut dementiam, vel potius utrumque ſimul (de improbis tantum loquor, & turbulentis, qui has turbas commorunt; nam, ut ſæpiſſime præfatus fui, Papiæ multi viri graves, & probi inveniuntur, qui iſta non probant) admirari. Audet aliquis dicere Papienſes ſeju-

gatos esse atque distractos a Mediolani ditione, & a communitate sociarum Civitatum totius provinciæ? & id, Patres, vobis audientibus, cum adversus eos res ipsa loquatur? cum quotidie contrarium ipsimet experiantur? Poterunt ne isti negare se cum reliquis sociorum Civitatibus hujus ditionis, atque Imperii censos esse? evolvatur publicum totius provinciæ tabularium, afferantur publicæ recensionis tabulæ, appellentur, interrogenturque publici Quæstores hujus Imperii, quærendumque ab illis, referant ne in tabulas secretas, atque sejunctas pecuniam, quam a vectigalium Papiensium Redemptoribus annuam exigunt, an in communes totius Provinciæ tabulas? Percontandi etiam ipsi Papienses, profiteantur ne propriis, & privatis tabulis, an potius communibus cum aliis Civitatibus, pro quarumque censu, & fortunis, ut cuique onera exæquentur? sed quæso, quis hæc melius testificari possit, quam vos metipsi, Judices, ad quos cum a Municipalibus Prætoribus, ac Judicibus provocatur, deferuntur omnes graviores caussæ, quæ in provincia agitantur, in capitalibus vero, quis, nisi vestrum Collegium, reos aut absolvit, aut condemnat? Quæ igitur, Papienses, est ista vestra secretio, aut distractio? Docete qua in re vobis suffragetur, ne mihi sit necesse refellere aliam ejusdem generis rationem, Sacerdotum principem vestræ Civitatis esse penitus sejunctum, ac secretum a re Pontificia Mediolenensi, neque Papiam agnoscere Antistitem eum, qui in tam regia Civitate, sacris præsidet, quemve tota provincia suspicit, ac venera-

neratur. Obsecro vos, Papienses, sani ne estis, qui ista tam temere effunditis? quæ vos agunt intemperiæ? Satius erat, vos nihil dicere, quam jejunum istud nescio quid, & contemnendum effutire. Istud quidem falsum esse dico, & a vobis impudentissime confictum. Sed esto, ut libet. Ista ratio est ea, quę vos nihil prorsum levat; est enim omnino eadem, quæ proxima, & tantidem, vel multo etiam minoris facienda, cum idem quilibet Pontifex in sua Civitate ob levissimjam quamque caussam a Pontifice Romano quotid e impetrare possit. Si me audietis, posthac libenter manebitis in communione, nec tantopere connitemini sejungere vos, aut a communibus provinciæ legibus desciscere, quibus præclara Civitas Placentia nuper Cæsaris Imperio adjecta subjici maximopere postulat; secumque communicari rogat provinciæ jus, moresque, & instituta, ut ejusdem cum reliquis sociorum Civitatibus sit juris, & conditionis, vestraque ista Diplomata inania, jampridem exoleta, & plane mortua, aut detractis aureis bullis, & sigillis projicietis, aut antiquata nullo innumero habebitis. Itidem Cremonenses faciunt, quorum Diplomata, in quibus plurimi Romanorum Imperatores exquisitis verborum ornamentis laudant eorum fidem, ac præclaram virtutem, scrinia vestra non caperent. Valuerunt illa olim, & vobis utilitatem attulerunt; nihil nunc ad rem spectant; mutata est ratio temporum, alia tempora alios, ut ait ille, mores postulant; Longe diversus est status, & noster, & vester, atque olim fuit, diversaque conditio. Non ne explodendi essent,

ſent, aut ſane deriſui habendi Brixiani, vel Bergomates, homines acutiſſimi, olim ſocii noſtri, nunc tantum vicini, & amici, ſi a Venetis, quibus hoc tempore parent, poſtularent ſibi eas immunitates, munerumque vacationes præſtari, quas a Mediolanenſium Regulis, quibus olim ſubjiciebantur, conſecuti eſſent? ſed non exiſtimo adeo obtuſos populos illos, aut parum intelligentes, cum ſint etiam eorum plurimi doctrina præclare exculti, ut ad has ineptias unquam deſcenderent. Nolo hoc loco multus videri; tota res eſt nugatoria, videoque vos, Judices, pene omnes in riſum effuſos. Doleo hic adverſariorum vicem pro veteri utriuſque Civitatis amicitia. Si mentis eſſent ſuæ, nunquam puto ad has nugas deventum eſſet in re præſertim tam facili, atque illuſtri. Quod etiam ſpectat ad ea ipſa eorum diplomata, addunt unum, plane perridiculum, mihi etiam miſerabile, cui amicorum inſcitia ſemper miſericordiam potius, quam riſum movere ſolet.

Papiam inſuper, inquam, ajunt Cremonæ præferendam, quod (expecto hic exquiſitam rationem) Papiæ tanquam in propria ſede, non alibi, ſemper commorari convenit Navarchum, ad quem omnes in Provincia navium præfecti reſpiciant, quique omnibus Naviculatoribus imperet. O præclaram rationem, Judices! o exquiſita argumenta Papienſium, qui quotidie cum literatis hominibus in Academia verſantur! quænam fanatica anus iſtæc deliramenta loqueretur? Videtis quam tenuiter omnia ramenta, omnes quiſquilias ratiuncularum colligant! Quos mihi Navarchos, quos mihi Navicula-

latores narratis? quasi vero non in omnibus aliis locis, quæ habent commoditates fluminum, aut maris oportunitatem, non præficiantur ubique Navarchi, qui in cæteros navicularios jus habeant. Esto autem, omnes alios navium Præfectos, ubicumque sint gentium, sit necesse parere Navarcho illi, quem opus est Papiæ habere domicilium, ibique continenter habitare, cui per me vel ipse Neptunus serviat, cui Nereo, Glaucoque, vel Inoo Melicerta, quis enim non rideat? ea tamen re Papiam anteponendam Cremonæ pugnabitis, cum id sit potius propter Metropolis vicinitatem, ut ille cum omnibus navibus præsto esse possit Mediolanensium Ducibus quoties aliquo iter habent flumine. Nihil hercle tam præpostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest.

Restant adhuc Papiensibus, Judices, duo præsidia, quibus se tueri posse falsa persuasione inducti, arbitrantur. Quicquid illis reliquum est spei in his duobus fundamentis jaciunt; in iis sita est omnis eorum salus; ea nisi illis adjumento fuerint, nihil præterea habent, quod pro se nobis opponant. Porro alterum quale sit, quam debile, atque infirmum, jam faxo ut intelligatis. Ajunt, se nobis anteferendos (quam tantam ob dignitatem quæso?) quod apud se præ cæteris provinciæ Civitatibus, vigeat florentissima Academia, Gymnasiumque literarum celeberrimum, quo ex omnibus provinciis confluunt adolescentes ad studium tum Legum, & Juris civilis, tum Philosophiæ, cæterarumque optimarum artium. Nisi hodie fecero planum, Judices, id plus incommodi, quam

quam adjumenti afferre eorum causæ, nihil ultra repugno.

Non possum equidem dissimulare id aliquid esse; magnamque utilitatem, ac non tantum multas commoditates adversariorum Municipio afferre fateor, verum etiam eis maximo ornamento esse potuisse, si occasione tam opportuna uti vellent, aut uti scirent. Proposui enim mihi in hac caussa tam clara, tamque expedita nihil omnino calumniari, sed omnia, quæ vera sunt, aut esse possunt ingenue confiteri. Nego tamen, immo etiam pernego, hinc Papienses ullam dignitatem, prærogativamve, aut præstantiam sibi arrogare jure posse, cum istud Gymnasium, quod ipsi etiam non audebunt negare, non industria sua, non sua pecunia, aut impensa instituerint, sed quicquid est inde commoditatis, & ornamenti, id omne acceptum referre debeant Regulis Mediolanensibus, quorum beneficio, ac liberalitate institutum fuit. Poterant illi sane æque utiliter hac commoditate afficere quamlibet aliam suæ ditionis Civitatem, Alexandriam, Novariam, Laudem, Novum Comum, Derthonam, Parmam, Placentiam, Cremonam, & quæcunque aliæ Civitates eis tunc parebant, quarum nulla est, quæ nobilitate, civium splendore, copiaque, & omnibus opportunitatibus Papiæ cedat; sed pleræque etiam omnibus virtutis, & fortunæ præsidiis anteeunt, una superbia, qua sola a Papiensibus istis antecelluntur omnes, excepta. Quæ vero caussæ impulerint sapientissimos viros Heroas illos, ut potius Papiæ, quam alibi istum literarum ludum voluerint aperiri,

tiri, licet vobis, Judices, exploratum esse arbitrer, dicam tamen propter exteros, quos hic adesse plurimos, & attente audire video. Duo potissimum in caussa fuisse reperio. Primum quidem; quod semper fulcienda debiliora, sustentandique sunt, qui ruunt. Qui primus hanc studiorum, literarumve exercitationem in provinciam importavit, animadvertit proculdubio Municipium Papiense propter vicinitatem valde opportunum fore Mediolano, quæ Civitas est ejus ditionis, & imperii caput, si quo modo paulo amplius, locupletius, lautiusque effici posset. Est enim Papiensis ager, ut docui, & ipsi confitentur, plerumque miser, atque jejunus, solumque exile, ac macrum, opes Civium tenues, atque exiguæ, ne mihi repetenda sint, quæ superiori actione memoravi de infrequentia, & solitudine ejus Municipii, quo, docui, nihil desertius, nihil contemptius esse posse, ne toties ante oculos vestros oratione repræsentem, Judices, Papiensium sociorum nostrorum ignobilitatem, & deformitatem, populumque infrequentem, semper nescio quid egestatis præseferentem. Huic solitudini, & infrequentiæ, inopiæque, ac squalori ut sapientissimi illi viri optima ratione occurrerent, Academiam apud vos, Papienses potissimum esse voluerunt, eo consilio, ut nobilium adolescentium ad vos, studiorum caussa confluentium hospitiis continuis vestra Civitas levaretur, simulque locupletior, ac frequentior redderetur, essetque receptaculum multorum hospitum, Ea re illi imitati videntur experientem,

atque

atque induſtrium patrem familias aratorem optimum, qui eam partem fundi, quam magis aridam, & jejunam contemplatus, aut etiam arando expertus ſit, ſæpius ſtercorando adjuvat; ſi quo modo ad fructuum ubertatem queat elicere, fertilemque, & opimam facere, ut multo plus reddat, quam accepit; quæ cauſſa niſi eos moviſſet, quanto commodius, meliuſque Mediolani [in qua Civitate Dii immortales!] quicquid eſt Gymnaſii, & Academiæ inſtituere poterant? ubi non modo Gymnaſium Papienſe, ſed totius Orbis terrarum digne, ac percommode eſſe poterat, ubi, inquam, omnia inſignia Reipublicæ Romanæ recognoſcere poſſis, cum magnificis ædificiis, operibuſque, tum ubertate agrorum, atque abundantia rerum omnium, ubi ſumma omnia; ubi cuncta ſplendeſcunt victu regio, atque cultu. Quod unum hactenus defuit eximiæ Civitati, id tu, Ferdinande, ſupplere ingreſſus es ea animi magnitudine, qua cuncta ardua, ac difficilia aggredi ſoles, atque expugnare. Equidem dicere audeo, nihil intra univerſi Cæli ambitum præclarius Mediolano contineri, ſi tam ampla, & ſpatioſa Civitas, ea murorum corona ſepta fuerit, quam nuper admirando opere cæptam ſurgere conſpexi. Mirum ſane, Papienſes, quod non etiam hac eadem ratione Municipium veſtrum huic Urbi ampliſſimæ audeatis anteferre, quod apud vos ſit literarum Gymnaſium, & exercitatio, qua commoditate, atque ornamento urbs Mediolanum omnino careat. Videbimus poſtea quid vobis iſtud Gymnaſium conſe-

ferat, quod tantopere præ vobis jactare soletis, ac si esset Atheniensis illa Academia, quæ e Cælo Philosophiam devocasse dicitur.

Altera caussa fuit, [præposui enim, duas maxime ob res, Duces Mediolanensium adductos fuisse, ut Papiæ Academiam, potius quam alibi instituerent], quod iidem illi sapientissimi Viri animadverterunt, Papienses homines, plerumque (non enim loquor de omnibus) natura quidem rudes, ac duros, ut semibarbaros, & a literis plane alienos (date mihi veniam, refero quæ audivi sæpius a prudentissimis viris, quæve etiam ipse re comprobavi) quod eorum Patres, ac majores nimiam operam dedissent barbaris, qui Papiæ aliquot annos regiam suam habuere, literarum, atque optimarum artium, omnisque humanitatis hostes perpetui. Neque ista commemoro, Judices; caussa vituperandi adversarios meos: acuti ne, an hebetes simus, non est in nobis, sed ipsius naturæ culpa. Ut igitur hac saltem ratione Heroes illi nostri id genus hominum aliquando extunderent, mollirentque, & aliqua doctrina expolirent, istam Academiam apud istos instituere; neque enim fieri posse arbitrabantur, ut qui cum literatis hominibus, bonarumque artium studiosis die noctuque versarentur, omnino literarum, omnisque humanitatis expertes essent, utque doctrina prorsus nulla eis, consuetudine saltem ipsa, &, ut ita dicam, contagione adhæresceret. Quis nescit, eos homines, qui assidui sunt cum fabris, facile fabros evadere? An vero illis sapientissimis Viris ex sententia processerit, aut potius oleum,

&

& operam, ut dicitur, luserint, non dicam nisi coactus. Quid vos tanquam vestrum memoratis, quod vos non fecistis? non instituistis? non excogitastis? Cujus, ne mentionem quidem facere potestis, nisi etiam una infirmitatem, & imbecillitatem vestram commemoretis, cujus rei gratia Gymnasium habetis? Quid si ego nunc vos interpellem, & a vobis exigam rationem tantæ commoditatis a Ducibus Mediolanensium vobis comparatæ impensa communi totius provinciæ? quos fructus hujus culturæ proferetis? Quid vobis, inquam, profuit ista vestra Academia? Quos mihi excellentes Viros ex vestratibus in literis emersisse commemorare potestis? Bononia Civitas Italiæ præclarissima, in qua viget illud antiquissimum Gymnasium, quo totius Europæ frequentissimi adolescentes confluunt, veluti ad literarium celeberrimum orbis terrarum emporium, semper ostendit quantum profecerit ex illa nobili literarum officina, domesticaque Academia. Namque in omni ætate semper habuit, quos ipsa tulit, Viros in omni genere literarum præclaros, nec ei, quemadmodum Papiæ, semper opus fuit exteros, adventitiosque magistros, qui publice optimas artes, ac scientias docerent, magna mercede foris conducere, cum fere semper domesticos habuerit, per quos proficeret. Quod etiam de Patavina, Perusina, Pisanaque, & de omnibus Italiæ Academiis, præterquam de vestra affirmare possum. Sed, quid ego Civitates, quæ Academiis sunt celebres, atque illustres, cum vestra confero? Cum vel Cremona ipsa, quæ nunc caret hac

publi-

publica commoditatè, longe plures, quam Papià viros, in omni doctrinæ genere præstantes semper habuerit, ut abunde supra demonstravimus?

Si in mentem venisset Regulis Mediolanensibus nos potius, quam vos hac commoditate afficere, quam nunc Urbem Cremonam [Dii Immortales!] Carolus V. Imperator haberet? quam celebrem? quam ingeniis florentem? Multo libentius ad nos adolescentes ex tota Italia, ex omnibus terrarum orbis partibus confluerent, ut omittam, propter majorem copiam rerum, quæ ad victum pertinent, multasque alias ob commoditates, de quibus rebus, in utriusque Urbis collatione nudius tertius fusius disputavimus; conferendam ne censetis, Judices. cum istis nostrorum hominum liberalitatem, humanitatem, affabilitatem, quibus innata quadam virtute, animique magnitudine hospites prosequi solent? Quos, rogo, nostri, Cremonam divertentes non alliciunt in amicitiam? Cives nostri, sicut belli tempore, armis, ac militiæ dediti nemini virtute, atque animi robore, cedunt; ita in pace, natura, & consuetudine, disciplinaque, lenissimi, atque humanissimi sunt sensus, præsertim erga pacatos. Adeunt interdum, studio quodam innato, ac prope naturali, animi causa meritoria, diversoria, ut est nostra Civitas semper multorum hospitum, non tantum sibi notos, & aliqua consuetudine conjunctos ibi repertos, quorum gratia eo concesserant, a communi hospitio liberaliter abducunt, sed etiam, si quos ibi advenas conspexerint, virtutem aliquam præclaram, generisve nobilitatem, ingenuitatemve,

sermone, aut ipsa oris indole præseferentes, eos humane appellant, & liberaliter domum quisque suam invitant, atque allectant, coguntque vi quadam liberali ad se diverti, illisque omnia hospitalitatis officia exhibent, atque impendunt. Neque id sæpenumero facientes boni adolescentes offendunt seniores suos patres familias, quod ætas ea solet esse minus splendida, & liberalis, sed illi in hac caussa præstant se filiis faciles, largiusque impendunt propter vetustissimam Urbis consuetudinem, ut in susceptos hospites æquales suos sumptum facere possint. Experti sunt nostra memoria Patavini exules; omnis, inquam, illius præclaræ Civitatis nobilitas, qui cum gravissimum bellum arderet contra Venetos, quibus illi subjecti parebant, proditionis insimulati fuerant, quod nimium studuissent Maximiliano Romanorum Imperatori, cæterisque hostibus fæderatis, ideoque exilio mulctati fuerant, cumque eos ad Urbem nostram fortuna appulisset, communi Civitatis sumptu, primum, omnibus domus conducta est in celebri Urbis parte capax admodum, atque pro hominum numero satis bene ampla; comportata deinde, non tantum necessaria, verum etiam magnifica, & prope ad delicias suppellectile, omnibus copiis, quas vita postulat, miserati eorum egestatem, & inopiam, refersserunt, procuraveruntque, ne quidquam deesset illarum rerum, quæ ad victum, vestitumque pertinent, donec exacto bello, ab exilio revocati fuerunt. Experti sunt item eandem Civium nostrorum liberalitatem suis temporibus Brixiani, Veronenses, Placentini, Par-

men-

menses, totaque vicinitas illius oræ, quibus a nobis sæpius omne liberalitatis genus impensum fuit, ac persolutum. De vobis, Mediolanenses, nihil dico, quoniam adestis frequentissimi, & hæc vos non latent. Hinc factum est, ut pleræque Civitates illarum, quas nominavi, ut se gratas, ac beneficii memores comprobarent, tam illi, qui hospitio recepti fuissent, quam alii, qui domi remanserant, omnes cives nostros perpetuo Decreto in Civitatem suam ascriberent, eandemque immunitatem, quam ipsi haberent, nostris apud se negotiantibus, aut quoquo modo eo divertentibus elargirentur. Nollem esse multus; non possum tamen tacere de nostræ Juventutis studiis, atque humanissimo animorum sensu, erga hospites præsertim æquales suos, atque coævos. Dabo operam ne nimis aberret Oratio, diffluatve, atque redundet. Quædam omnino mihi necessario sunt dicenda, ut noscatis in collatione, non modo quam liberales se se gerant Papienses erga nobilissimos adolescentes apud illos studiorum gratia agentes, verum etiam quam dignos se esse comprobent illa Academia, totius Provinciæ sumptu, instituta. Qui semel ad nos casu aliquo, atque fortuna appulsi diverterunt, admirati humanitatem, studiaque, & mores suavissimos nostræ juventutis non possunt se continere, quin postea Civitatem nostram consilio, valentibusque animis, sæpius accedant. Nihil illi antiquius habent, quam cum nostris Civibus suis æqualibus amicitiam jungere, studiorum societatem coire, in eorum sodalitatem recipi, cum eis operam literis navare, optimas

artes perdiſcere, diſputare, colloqui, ſimul ambulare, conquieſcere, ſæpius cænare, aliquando pernoctare, jucundiſſimis, & [ut ita dicam] diſertiſſimis pervigilationibus, ideſt ſuaviſſima conſuetudine ſimul vivere. Noſtra enim Civitas tota ferme eſt in iis ſodalitatibus, liberalibuſque, & ingenuis conventibus, ut plerique veſtrum, qui Cræmonæ fuiſtis, vidiſſe potuiſtis. In omni ætate, in omni gradu, æquales cum æqualibus, certa diei hora conveniunt; jucundum eſt videre plurimos quotidie adoleſcentes, florem nobilitatis, & virtutis in Civitate laudibus florentiſſimos, binos, alios poſt alios pacatiſſimos ſimul per totam urbem inambulare, nulli nocere, prodeſse quibus poſſunt. Si quando accidit ſodalitatem ſodalitati obviam fieri, videas ſumma humanitate alteram alteri libenter viam dare, diuque utramque certare, ne ab altera, humanitate vincatur. Si quis inter alios in conventu moroſior, inſolentiorque viſus fuerit, eum ſtatim defugiunt, ac vitant cæteri omnes, atque ob difficiles, & feros mores, aſperamque naturam, eo commercio ut intractabilis privatur, e cætuque, & ſodalitate ejicitur. Adeunt interdum congregati, modo hæc, modo illa ſodalitas præſtantiſſimos viros Civitatis ſeniores, quemcumque pleniore ore laudandum judicarint, qui ſit in ocio cum dignitate, multis, atque optimis artibus præditus, cujus conſuetudine adipiſci poſſint ampliſſimam bene vivendi, tam ejus vita, quam literis, diſciplinam. Neque vero deſunt nobis unquam optimi viri nati ad laudem, ſumma prudentia, multa etiam doctrina exculti, in omni

ni munere vitæ, plurimarum rerum uſu præclari, nec minus optimarum diſciplinarum præſtantia excellentes, quam temperatis moribus inſignes, a quibus juvari poſſis, in iis quoque ſtudiis, atque artibus, quæ reconditis, atque abditis fontibus exhauriuntur, quæve non ſine ſummo ocio facile diſcuntur. Talem virum nacti adoleſcentes, virique optimi, ad eum, non modo propter hominis virtutem, ingeniumque, & doctrinam, ſed etiam propter humanitatem, miramque tam morum, quam ſermonis ſuavitatem, confluunt tanquam ad oraculum. Eo audiente tanquam arbitro, & diſceptatore de multis quæſtionibus difficillimis diſquirunt inter ſe, de literis incredibili humanitate differunt, de virtute fere ſemper, ſæpe de officio, de utili, atque honeſto, deque ampliſſima bene vivendi diſciplina, interdum de arte Militari, de Agriculturæ ſuavitate, de Architectura, de Muſicis, de Pictoribus, de Statuariis, deque artificibus etiam inferioris ordinis, quorum tamen artes, non tantum operæ, emuntur. Multa virum doctiſſimum interrogant, plura audiunt, pendentque ad ejus reſponſa. Semper inde diſcedunt, non tantum doctrina, ac ſcientia meliores, ſed etiam vita, ac moribus magis exculti, & perpoliti. Et ſi quando, ut in ſermone fieri ſolet, natura ſuadente, ad manſuetiores Muſas, ideſt ad familiaria colloquia deſcenditur, ne optimus vir adoleſcentibus difficilem, ac moroſum ſe præbeat, aliqua per jocum ultro citroque jactari æquiſſimo animo patitur; nihil tamen inde audiri contingit niſi pudicum, niſi ex optimo more,

ac sanctissima disciplina. Hic sæpe colloquii suavitate illecti bonam diei partem perjucunde absumunt; adventante nocte discedunt inviti, quam primum redeundi cupidissimi; gravissimæ lites, ac civium controversiæ, quæ in foro diu agitatæ, nullum neque modum, neque finem reperire poterant, huc sæpe devolvuntur, nullaque impensa, ex bono, & æquo, ut inter bonos agitur, terminantur, & quod tot judicum prudentia, patronorumque solertia, multorum annorum labore in foro consequi non potuit, hic optimorum hominum æquitas paucissimis horis conficit, ideoque apud nos, jam in proverbii consuetudinem venit; cum in foro aliqua lis gravissima diu versata fuit, neque unquam dijudicata, transmittendam esse ajunt ad Thermas, innuentes, ad optimorum virorum hunc conventum, similitudine a Medicis translata, qui cum in alicujus difficilis, diuturnique morbi curatione, admotis frustra omnibus remediis, nihil, aut parum se profecisse vident, nihil ultra quid faciant habentes, laborantem, affectumque desperata ejus salute, ad balneas calidarum aquarum rejiciunt. Idem fit de perniciosis tam civium, quam exterorum simultatibus, atque inimicitiis, quæ hic quotidie, adinventis, propositisque æquissimis conditionibus, finem capiunt; neque ulla fere dies præterit sine aliqua pacificatione, & ubi discordiis modum difficile est reperire, hi boni animorum conciliatores, tanquam belli, ac pacis interpretes summa dignitate, atque auctoritate suadent, coguntque exquisitis rationibus, ultro citroque interpositis induciis, ab armis disce-

discedere, extorquentque de manibus iratorum adolofcentium ficas, & gladios, dum irritati, exacerbatique animi utrimque deferbuerint. Hinc a Civibus nostris, ut in plerisque Civitatibus, raro graves inimicitiæ suscipiuntur; rarissime civis civem ob acceptam injuriam in periculum capitis accersit; accusatores, delatoresve ab omnibus, ut pestilentes, vitantur, defugiunturque. Si forte etiam controversia coorta fuerit inter Civem, & peregrinnm, omnes se nostri Cives pacificatores interponunt, hospitemque ab omni injuria tectum reddunt, civem graviter verbis castigant, soliciti, ne jus hospitii apud nos sanctissimum violetur; (quæ res fuit semper apud nos capitalis, & quasi majestatis. Cogunt imprimis amici Civem, velit, nolit, peregrino reconciliari, atque omnem injuriam, si qua affectus fuit, cum eam facile vindicare posset, patriæ condonare. Ideo nostra Civitas semper floruit, floretque etiam hodie hospitiis hominum nobilissimorum, maxime adolescentium, qui permoti fama nostrarum Academiarum, conventuumve ad nos se frequentissimi conferunt, speciemque, & numerum quasi publici Gymnasii præbent. Nondum de pueris locutus sum, qui ad nostræ Civitatis Rhetoras, Grammaticosque instituendi a parentibus Cremonam, ex omni vicinitate transmittuntur; de quo nihil mihi est necesse dicere, cum res ipsa loquatur. Nemo vestrum est, Judices, qui non audierit, viderit etiam fortasse, ac re ipsa in liberis suis expertus fuerit, quam diligenter, quam fideliter, & sancte in no

ſtra Civitate pueri, atque adoleſcentuli primis illis artibus erudiantur, quæ ad alias artes, ſummaſque virtutes aditum præbent, tanquam janua, & fundamentum omnium diſciplinarum, uſque adeo ut Muſarum, ideſt literarum, & bonarum artium domicilium, ac ſedes habita ſemper fuerit Cremona, quod negari non poteſt, niſi deteſtabili ſcelere. Habuit enim omni ætate, habetque etiam hodie bono quodam fato, aut cœli beneficio, homines eruditiſſimos ſemper duos, aut tres, pudore, ac temperantia cum primis inſignes, qui præceptis, & literis adoleſcentulos, cum primum ſapere cæperint, inſtruant, caventes in primis, ne illi in illo ætatis flexu totos ſe voluptatibus dedant, & ab illis vitiis, quibus ea ætas implicari ſolet, abducunt, ſed ut mos, virtuſque majorum noſtrorum, prius eis ingerunt, quæ ad Religionem, Deique optimi maximi cultum ſpectant; deinde latine eos loqui docent, non nullam nihilominus interea literarum Græcarum notitiam inſtillant; ita eos, tum literis, tum moribus aſſuefaciunt, ut deinde conſtanti ætate eorum ſit omnis impetus ad laudem, nec patiuntur eos ab ſe longius aberrare, neque per urbem diſcurrere. Feriis quoque eos ſecum eſſe volunt bonam diei partem, cum quieſcere ab opere jubet Religio. Iis diebus exercent eos in ſacris Literis, ut primis ſaltem labiis pietatem, ſanctitatemque religionum deguſtent; ſacros etiam poetas tunc eis interpretantur, ſi quis inter bonos de Chriſti pietate, quem nos ſequimur, colimuſque, elegantius ſcripſerit, propiuſque ad antiquorum Poetarum

tarum

tarum excellentiam accesserit, ut una, eademque opera, & religionum, & linguæ latinę elegantiam, ac proprietatem arripiant, & assuescant de Divis recta numeris loqui, & scribere, relictis antiquorum superstitionibus, ne molles adolescentulorum animi perniciosis, portentosisque religionibus imbuantur; donec paulum ætate progressi commentitia possent disjungere a fabula. Adeunt deinde ædem sacram hora, qua Sacerdotes rem divinam faciunt, ut sacris intersint, & cum sacerdotibus Deum precantibus secum taciti precentur. Videas Præceptores præcedere non tumidos, non inflatos, neque hinc sibi in adolescentulos regnum arrogantes, sed potius, ut bonos homines decet, modestia quadam temperatissimos; sequitur gregatim tot nobilissimorum Epheborum cætus, ut sit omnibus civibus quidem perjucundum, exteris vero, atque advenis etiam visu speciosum. Ubi vero ætati paulum roboris accessit, transvolant, aut ad Jurisperitorum scientiam, aut ad Philosophiam, ad easque artes, quæ nobis traditæ sunt disciplinis, ac monimentis; & in quacumque se exercuerint, evadunt plerique summi, quod in Grammaticis, & in Poetarum cognitione fuerint prius apud nos optime instructi; remanent complures in patria eloquentiæ dediti, Rhetorum præceptis etiam infirma ætate delectati, quod quidem apud nos semper abundavit, fuitque Civitati nostræ proprium, ac peculiare. Hinc omnibus ætatibus plurimi in literis excellentes prodiere, qui mos, virtusque majorum adhuc durat propter Magistrorum excellentiam. Id vere est, Judices, habere

bere

bere in Civitate Gymnasium, Acadamiamque literarum, & bonarum artium exercitationem. Si cui Civitati hanc ob rem gloriari liceret, nostra hercle Civitas id jure facere posset.

Jactant pro se Papienses nobisque objiciunt literarum Gymnasium, quod Regulorum nostrorum institutioni, liberalitati, atque impensæ, velint, nolint, acceptum referre debent. Habemus nos in Civitate nostra, si ad omnia respiciatis, Judices, non impar, non inferius Gymnasium, nostra cura, nostrapte industria, atque impensa, nostroque (ut ita dicam) Marte institutum, ne potius natura contendam; in quo etiam heroicis temporibus, monimentis gravissimorum Scriptorum proditum est, maximos viros in re literaria summos evasisse, quibus si credendum est, gloriari possumus in Academia Cremonensi Publium Virgilium Maronem, illud Poetarum omnium ætatum omnis memoriæ clarissimum lumen profecisse; cujus rei memor ille, ut aliquam gratiam referret, nomen Civitatis nostræ suis carminibus, honoris caussa, inseruit. In Gymnasio Papiensi juventutem docent Magistri aliunde publico Provinciæ sumptu conducti, exteri quidem, & adventitii homines, inter quos aliquando nostri etiam Cives tam in Philosophia, quam in Legum, ac Juris scientia excellentes magna mercede conducti ab illis fuerunt. Nostrates nos habemus semper, per quos proficiamus domi, in illis etiam studiis, atque artibus, quæ non addiscuntur nisi quadam exquisita ratione, atque doctrina. Nos, ut jam ostendimus, habuimus semper in omni studiorum genere plures,

res, ac præstantiores viros in Philosophia, in Legum facultate, in Medicina, in omnibus Mathematicis, in arte Oratoria, ut Poetas omittam, cæterosque Scriptores, qui implerunt Orbem terrarum nominis sui gloria. Hoc, inquam, est, Judices habere Gymnasium, quo tamen Civitas nostra non tantopere gloriatur; quod si faceret, ut isti sæpissime identidem usque ad nauseam solent, sua quidem jactaret, non aliena; sua opera, sua industria, sua pecunia, atque impensa, non Regulorum liberalitate sibi collata prædicaret. Amplius dicam, Judices; odiosum sane esset per se solum, plenumque fastidi, & nauseæ, si tantum commendationem Papienses aucupari vellent ab hujuscemodi Gymnasio, quod alieno beneficio habent; quanto vero intolerabilius videri debet, quod omnia faciunt ut eo careant?

Quippe, quo impensius, studiosiusque Cæsar, ac Cæsaris jussu Ordo vester nititur, ac laborat, nunquam sumptui parcens, ut percelebre sit, ac perfrequens, eo isti semper magis pugnant feris, ac barbaris moribus, ideft inhospitalitate (de improbis tantum loquor, ut soleo, & ut millies in tota Oratione præfatus sum) ut nobiles adolescentes, qui è diversis Orbis partibus eo confluunt, a suæ Urbis accessu deterreantur, cum illisque habent perpetuum bellum, & nisi vestra Edicta, formidolosaque Senatus Consulta obstent, quibus cavetur, ne quis hujus ditionis, rei literariægratia, peregrinetur alibi, quam Papiæ, nemo sit in tota Provincia, qui in solo Papiensi ponat pedem; ad barbaros potius, efferasque nationes se

con-

conferrent. Vobis Papienses in exteros adolescentes hospites vestros est odium insitum, naturale, barbarum, atque immane. Omnes vos vitant; omnes defugiunt, ac detestantur, cum eis est nulla Civium vestrorum consuetudo, aut familiaritas. At si quando aliquid rixæ inter civem, & hospitem coortum fuerit, omnis fere juventus vestra odio communi sese erigit; conclamatur, & ad arma simul ruitur; clauduntur tabernæ omnes, dato signo, in miserum hospitem fit impetus, & quoscumque alios adolescentes hospites, aut peregrinos interim obvias habent, licet omni culpa vacent, tantique tumultus penitus sint ignari, crudelissime trucidant. O rem, tetram, miseram, ac detestabilem! Non loquor audita, vidi, vidi ipse, Judices, iis oculis, atque olim expertus fui; & bis a periculo vix me exemi. Apud Lestrygonas, apud, inquam, Cyclopas tutius, commodiusve peregrinaremur. Quot miseros parentes honesto loco natos, quot infelices matres familias nobilissimas in diversis Orbis partibus arbitramini ab istis privatos, liberisque orbatos fuisse? Expectabant illi quidem fortasse, summisque votis cupiebant videre tandem filios domum redeuntes insignibus, & ornamentis studiorum suorum cohonestatos, condecoratosque, ut tandem tot laborum, sumptuumque aliquem fructum reportarent; & jam forte illi pro eorum reditu vota Diis faciebant. O fallaces parentum spes! o irrita pientissimarum matrum vota! pro carissimis filiis redeuntibus sæpissime illis venit tristissimus famulus, aut pædagogus, qui eos ab hospitibus immanissi-

me

me interceptos nuntiaret! Sed quid ego hæc vobis, Judices, quibus quotidie est opus Papiam id propter pacificatorem, aut Quæsitorem mittere; quos etiam non latet quam bene acceptos Magistratus optimos viros a se semper exacto biennio dimittere consuerint? O pacatissimas, & humanissimas Civitates Bononiam, Patavium, Ferrariam, Pisas, Senas, Perusiam, Salernum, Taurinorum Augustam, ne transalpinas appellare mihi sit necesse, apud quas omnes, adolescentibus rei literariæ gratia peregrinantibus is fere est honos, quem paulo ante dicebam in nostra Civitate a nostris hominibus haberi omnibus hospitibus! Ea propter multum mecum mirari soleo, quæ tanta sit Cæsaris, vestraque, Patres, patientia, quod hanc studiorum commoditatem, quam a se Papienses tantopere projicere, & a se abalienare conantur, non hactenus in aliam hujus ditionis Civitatem transtuleritis, ubi agnoscatur, libentiusque suscipiatur.

Jandudum, Papienses, totum vestrum ædificium, dejectis, demolitisque omnibus substructionibus ad duas tantum columnas redegeram; nunc etiam, ut videtis, altera eversa est, atque subtracta; tota machina collabascit, ultima tantum relicta columella, qua innititur omnis vestra arrogantia, atque superbia; ea deinde sublata, subito in perpetuum casuri estis, quin potius arbitror, jam intelligitis vos concidisse; ita contracta vestra res est, & adducta in angustum. Neque mihi persuaderi potest, ut de REGNO iis Judicibus mentionem facere audeatis. Cum animadverto qui fue-

rint

rint illi vestri Reges, quamve jucundam nominis sui memoriam toti Italiæ reliquerint; cumque attendo qua prudentia sit Orator a vobis conductus, non puto eum hoc tanto consessu, hoc amplissimo conventu adeo abusurum, & hanc frequentiam pro solitudine usque eo habiturum, ut non perhorrescat excitare illorum temporum memoriam jam vetustate repressam, ut, inquam, repræsentet vobis, Judices, illam tempestatem subitam, atque improvisam formidinem, tenebras Italiæ, ruinam, atque incendium pulcherrimarum Urbium, quæ plus mali Italiæ intulit, quam Annibal cum omni Pœnorum exercitu, ut commendationem honoris Papiensibus petendam arbitretur a barbarorum injuria: ejus potius prudentiæ erit clientum percupidorum inscitiæ, & imprudentiæ obviam ire, & vobis, Papienses, persuadere, ut desinatis ea pro vobis jactare, quæ potius extant monimenta scelerum, atque omnium dedecorum, quam ornamentorum; ne eorum temporum renovetis memoriam, quibus inusta est vobis labes sempiterna, nisi vobis in aliquam suspicionem velit incidere, se a nostris callide appositum fuisse prævaricatorem, qui vos adversarios nostros suos Clientes pro nobis vituperet, & nobis silentibus, caussam nostram agat, eaque dicat adversus vos, quæ nos tacuissemus, neque vos ad illa usque tempora revocavissemus.

Dii faciant, ut contra Leges Romani Imperii in urbe Mediolano de isto Regno fœdissimo hiscere audeat; quod quidem, Judices, eum facturum esse de quodam audivi, cum illi penitus desit caus-

ſa, aucupeturque undecumque argumentationes, & omnes ratiunculas colligat, ut aliquid ſaltem dicat, neu videatur nullo fructu magna mercede conductus; nam ea ſolum tabula eis reſtat a tanto naufragio. Ita eos detractis regiis inſignibus tractabo, ita verſabo, ita abjiciam, ut non modo dejecti a regni poſſeſſione, in quam injuſte, & violenter invaſerunt, ſed etiam omnibus ſuis ornamentis ſpoliati, riduculi, ne dum miſerabiles plane reddantur. Prodeat ſane, prodeat iſte ferreus Orator cum illa plumbea, atque infabricata Oratione, nihil hercle longius mihi, quam eum audire! Ita ego Regnum illud inauſpicato poſitum, & Legibus Imperatorum noſtrorum abrogatum, totamque Regiam, probrorum, ac crudelitatis aulam deturbabo, ita affligam, ita comminuam, & tanquam in pulverem, aut fumum redigam, ut præter probra, & ſcelera, quæ neque Oceanus omnibus undis unquam eluere poſſet, nullum penitus appareat veſtigium. Satius iſti, ſi me audient, ſponte ſua regno inquiſſimo ſe abdicabunt, ſceptrumque illud cruentum, & diadema ultro pojicient, ut altum dormiant, & aliam operam navabunt, qua ſe nobiles afferant, ut ſe nobiſcum, non injuria conferre poſſint.

Ajunt itaque, Papiam vel hoc ſolo nomine Cremonæ præferendam, quod aliquot annos Longobardico tempore, Italia a prædonibus capta, atque direpta, ibi ſedes regia fuerit, cum interim Cremona, quæ nulla vi, nullis malis cogi potuit, ut a Romano Imperio deſciſceret, a barbaris illis Regibus

gibus Papienſium, direpta, devaſtata, penequec complanata vix urbis veſtigia retineret.

Hæc eſt arx totius iſtorum confidentiæ! hoc unum ſupereſt propugnaculum! Obſolevit jamdudum iſta Oratio, magis re, quam verbis confutata. Vide quanto faſtu iſtorum, deſpiciamur omnes. Iſta enim ratione neceſſe ſit Papienſibus cedant etiam ipſi Mediolanenſes, qui ſe Reges habuiſſe in ſua Civitate regnantes non contendunt, regiæque urbi tunc rerum Dominæ Mediolanum obtemperaſſe neceſſario fatendum ſit, quorum primum ſi vobis Papienſes conceſſero, fuiſſe, inquam, ea tempeſtate in Municipio veſtro Regum domicilium, ac ſedem Imperatoriam, & ea re vobis primas detulero, velitis ne, rogo, hoc nomine antecellere omnes alias provinciæ Civitates, quas nulli Reges pro domicilio habuerunt? etiam ne, obſecro, Mediolanum, illam, illam Civitatem, tot, tantiſque præſidiis, & ornamentis redundantem, tam magnis opibus, copiiſque fluentem, ut merito, non modo urbium hujus ditionis ſit caput, ſed etiam digna ſit, quæ perpetuam ſedem, ac domicilium præbeat univerſi terrarum orbis imperio, provinciiſque omnibus, nationibus, & regnis præſcribat, atque imperet? Quæſo ne etiam, Papienſes, [nam quo non progrediatur audacia?] eadem ratione præ vobis deſpicitis, ac pro nihilo habetis illam Venetorum clariſſimam, atque ampliſſimam Civitatem, quæ non modo Italiæ, ſed etiam totius Imperii, ac nominis Chriſtiani ſemper Arx fuit munitiſſima, firmiſſimumque contra bar-

barbaros propugnaculum? etiam ne, inquam, si Diis placet, Venetis vultis præferri, quod illi nunquam servierint Regibus barbaris in sua Civitate dominantibus; qui semper suis institutis, suisque legibus liberi vixerunt? Quasi vero in hac re non sit mihi penitus exploratus vester sensus? quasi vestra arrogantia non sit omnibus notissima? ac si non plane constet, vos cunctas Civitates præ vestra animis premere, atque despicere, & pro nihilo habere? dignitateque nulli urbium cedere, una vix, ægreque excepta Roma, quod etiam vos metipsi omnibus, quibus contingit ad vos diverti, testatum esse voluistis, literis in saxo insculptis, quod in portæ Ticinensis poste positum visitur? Quid enim aliud sibi vult ROMA SECUNDA VALE MUNDI CAPUT? furentis hominis, ne dum insani Poema. Quid expressius, quid illustrius expectatis? Legunto quæ sequuntur non minore majestate, quicunque illac iter habuerint, & risum si poterunt, teneant, non minus propter hominum inauditam arrogantiam, aut potius dementiam, quam propter Poetæ illius inscitiam, ac stuporem.

Admoneo vos per amicitiam, vicinitatemque, obnixe caveatis, ne a populo lapidibus obruamini. Colligite vos per fortunas vestras, ac tandem rescipiscite. Mihi vos fideliter admonenti auscultate; cogitate qui sitis, quam contempti, quam despecti, quam ejecti, quam nulli, quam saltem indigni, non dico, qui vos Mediolano, Venetiis, Neapoli, Florentiæ, Genuæ, Bononiæ, cæterisque principibus Italiæ Civitatibus præferatis, sed

qui nobiscum veniatis in contentionem honoris, & amplitudinis. Aliud porro molimini, ut vos quoque inter mortales aliquid esse videamini. Saxum illud multis literis illiteratum sine ulla mora demoliendum locate, atque in Ticinum projicite; quamprimum, inquam, si sapitis summovete, atque abducite illud ludibrium a prætereuntium aspectu, ut desinatis omnibus mortalibus esse fabulæ, ac deridiculo. Scio tamen, me acta agere, & hæc frustra vos monere, atque, ut ajunt, cantilenam surdis canere; novi optime cervices vestras, sed jam agite, si placet Majestati vestræ, Papienses, rem cominus aggrediamur, ut cogam vos statim cruentissimum sceptrum, atque infame diadema deponere, & vos metipsos ultro regno abdicare. Nunc penitus in hujus caussæ arcem invado: hic capietur Troja. Atqui sane vereor, Judices, in hoc ne vobis molestus sim, neve vestris ingeniis diffidere videar, si de re tam absurda diutius laboravero, atque inconsultam rationem, quæ prorsus nulla est, pluribus verbis confutavero, machinasque, & tormenta adhibuero, ubi omnia sint pervia.

Primum dico, nullam Civitatem dignam esse, quæ regia appelletur, nisi quæ tanti honoris nomen sustinere possit. Vidimus superiore actione, quantis opibus, quanta magnificentia prædita sit Papia, ne toties vestra patientia, Patres, abutar, animosque vestros afficiam, torqueamque, & affligam, cum sæpius ante oculos vestros istorum squalorem, atque egestatem oratione repræsento, vosque ad misericordiam tam sæpe revoco, cum ego ipse

ipse efficere nequeam, quin me quoque istorum misereat, non tam quod eorum sint opes tenues, fractæ, atque debilitatæ, quam quod in tam tenui, afflictaque fortuna se Reges appellent, idest, quod plane insaniant, nec eis in mentem veniat, se esse sub ditione, sibique aliorum imperio, necessario obtemperandum, Papiamque agnoscere aliam Civitatem principem, dominatricemque totius provinciæ, hujusque imperii caput. Esto, fuistis Reges, nunc exuti diademate, regiisque ornamentis, alteri Civitati subjecti paretis, ne dicam servitis. Fuistis Troes. Quis Oedipodem abdicatum regno, atque ejectum, cultu miserabili contra decus regium, pro Rege Thebis habuit? Spoliati regno Reges, deformatique ærumnis, nihil aliud regale apud homines retinent, præter inane simulacrum pristinæ dignitatis, præter, inquam, solam opinionem, recordationemque majestatis, & regiæ fortunæ; quæ res solum eos in calamitate magis misericordia dignos, quam cæteros homines efficit, ut Priamum, multosque alios Regno ejectos, & omnibus miseriis coopertos. Quem Epaminundæ quæso in scena non moveant miseriæ? cui non eliciant lacrymas Philoctetæ calamitates, & ærumnæ? nihil in illis præterea regii reliquum est. Esto, Papia fuit Regum sedes, & aula. Fuit Ilium, & ingens gloria Papiensium, nunc contemptissimum Municipium cum cæteris hujus imperii, ac provinciæ Municipiis, Coloniis, ac Præfecturis, alteri Civitati paret. Fuit illorum regnum, nunc spoliati regio nomine, regalique splendore obsolescentes, in squalore, & sordibus mærent.

Omnia regalis nominis, atque honoris insignia, & ornamenta ab eis recesserunt. Si præteriti status, honoris, ac dignitatis ulla ratio habenda foret, longe Papiam dignitate antecellit Cremona. Illa, cum esset Regum sedes, non iccirco tamen Papienses Reges erant ipsi, sed Regibus subjecti serviebant, dicam postea quibus Regibus, quasi vero ipsi essent Reges, non barbarorum, aut prædonum servi? vobis, Papienses, nihil illud regnum attulit, nisi quod barbaris Tyrannis servistis, coacti quidem primum, & vi capti, ut cæteri, sed postea servituti assuefacti vos metipsos illis sponte subjecistis, dominosque, ultro illos vobis, projecta in sempiternum (quantum in vobis fuit) libertate, imposuistis, uti gens ad servitutem nata, & ad omnem ignominiam perpetiendam facilis, nihil de laude, ac decore cogitans. Videte, quantum differat mea sententia a vestra opinione; vos ponitis in maxima laude, quod Reges aliquando in Civitate habueritis, quibus majores vestri serviebant, ego vero eos, qui se sponte in servitutem subjiciunt, in eaque libenter permanent, non tantum nulla laude, aut honore dignos esse existimo, sed omnino ex hominum numero ejiciendos, & finibus humanæ naturæ exterminandos censeo. Occurretis fortasse, atque pugnabitis, non vestra sponte illud servitutis jugum vestris cervicibus imposuisse, sed fatali quadam necessitate adactos cum cæteris Italiæ populis in illas miserias incidisse. Hanc defensionem, Papienses, jamdudum vobis ipsi amputantes eripuistis, dum contenditis eam turpitudinem maximo vobis

fuis-

fuisse ornamento, quam omnes detestantur, ac perhorrescunt, atque inde vos tam insolenter effertis, in quo quidem ostenditis, vos, majoresque vestros jugo turpissimo delectatos voluntariam servisse servitutem. Jam intelligitis, quam levis, quam inconstans, quam inconsulta sit vestra ratio, qui dignitatem quæritis ab injuria illorum, qui vos in miseram servitutem redegerunt, decus ab ignominia, gloriam ab infamia, a labe nitorem. Vos tunc barbaris Regibus eratis in sinu, atque in oculis, cum interea nostri Cives de libertate, ac decore cogitantes, existimantesque homini Romano nihil esse turpius servitute, omnibus incommodis afficiebantur, quod nullis persuasionibus, nullo terrore, nulla vi cogi poterant, ut ab Imperii Romani societate discederent. Vos barbaris regibus eratis in deliciis servitutem servientes, quod eos in cervicibus Italorum populorum collocaveratis. Nos interea a sedibus nostris, Penatibusque ejecti, profugique vitam inopem, ac vagam persequebamur, ne cervices nostras latronibus daremus. Regum sedes, ac domicilium fuit multos annos vestra Civitas, at nostra jam tunc ea erat, quæ non modo barbaris Tyrannis sedem, ac domicilium præbere posset, verum etiam, si historiis credimus, digna, quæ esset Romanis Imperatoribus sedes. Vestra Civitas regia fuit, at nostra multo magis digna erat non dico illorum, sed optimorum Regum domicilio, si ultro voluisset se barbaris in servitutem dare. Assecuti sunt Papienses ornamenta sine ullis meritis; at nos libenter isto honore caruimus. Sem-

per ego is fui, qui mallem virtute præditus esse, eaque mecum frui sine virtutis insignibus, quam insignia virtutis habere sine virtute. Fuerit vero etiam Papia ea civitas, quæ omnibus ornamentis redundans, digna esset Regum sede. Fuerint etiam illi Reges justi, & legitimi; non tamen propterea nos isti dignitate antecederent. Quippe nostra Civitas, si fides habenda est annalibus, multos annos in libertate fuit, suis legibus, atque institutis nixa, nulli Regi, aut Imperatori subjecta, neque ullo pacto obnoxia, ut quondam Athenienses, Spartani, Romani, & nunc quoque Veneti, Epidaurii, & novissime, præclari Viri Andreæ Doriæ beneficio, Genuenses Ligures; Papienses erant Regum servi, non Reges, at majores nostri erant nostræ reipublicæ Reges, ac dominatores, nulli, præterquam legibus optimis, parentes; quibus præcipuum semper fuit libertatem, nisi cum vita, non amittere; utra conditio magis honorifica, magisve optanda foret, in animis vestris, Judices, atque in vestris ingeniis relinquo.

Tandem ad majora deveniamus, neque jam mihi ulterius dissimulandum; jam loquamur, jam detractis integumentis, involucrisque explicatis, rem sicuti est, fari incipiamus; erumpatque aliquando vera, & me digna vox, atque Oratio. Quasi vero illi Reges fuerint, & non potius Tyranni, latrones, piratæ, prædones teterrimi, omnem diritatem, atque immanitatem superantes, in quibus nullus sensus humanitatis, nulla pietatis ratio, sed contra omnes divinas, atque humanas

manas religiones, qui omnia divina, atque humana jura tyrannide polluerunt, pestes illorum temporum, furiæ Italiæ, tempestas omnium bonarum artium, insigne odium omnium hominum, commune incendium naturæ, & humanitatis inimici. Dii, tales Reges terris avertite! Non vos puditum est Papienses, beluas tam immanes, tam diras, atque pestiferas Reges appellare, ut res teterrimas, honesta præscriptione tegeretis? Reges esse oportet, qui ab æquitate, a legibus, & institutis non recedunt; ab aliqua gente, aut Civitate, ob virtutem, aut suam, aut majorum suorum ad gubernacula reipublicæ vocati, a Pontifice Maximo, & a supremo Romanorum Imperatore comprobati fuerunt. Vestri vero Archipiratæ, & prædonum Principes, Sacrosancti Romanorum Imperii perpetui hostes ex gurgustio nescio quo, ex cæno, atque ex tenebris emersere, a nemine, præterquam a vobis, nisi vi, & injuria comprobati, atque suscepti. Et istos Reges appellare non vos pudet? Credo equidem, si aliquis Cerberus, aut Demogorgon, aut quoppiam aliud tetrius monstrum, & naturæ portentum in vestris oris nescio quo fato, insedisset, id quodcumque fuisset, pro Rege statim habuissetis. Porro si illi Reges fuerunt, fateri necesse est Occidentale Romanorum Regum imperium contra jus, & fas institutum fuisse, minusque ex lege; & illud omnium gentium, atque omnis memoriæ clarissimum lumen Carolum ejus nominis primum minus legitimum Imperatorem fuisse, qui magni cognomen meruit ob id ipsum, quod incredibili

quadam, eximia, atque divina virtute illas pestes, Reges vestros, tanquam teterrima monstra, illius tempestatis prodigia domuit, & Italiam, sublata eorum tyrannide, a misera servitute liberavit, Dei Optimi Maximi beneficio illis temporibus procreatus. Si illos Reges fuisse contenditis, Carolum, justum, aut legitimum Imperatorem non fuisse vobis omnino fatendum erit. Progrediar paulo ultra. Si ille Imperator non fuit (quod, si dixeritis erit extremæ dementiæ) neque tot alii magni, & clari Reges, qui ei longa serie successere, Imperatores dicendi; cogemurque (audite, audite, atque attendite, Papienses) hunc nostrum ab eo ejusdem nominis quintum, cujus præclarissime res gestas domi, militiæque nulla unquam obscurabit oblivio, velimus, nolimus, Regem non esse necessario confiteri; hac enim arctius ratio astringi non potest. Malam potius illis latrunculis, vestris Regibus, Crucem, ac pestem! Cavete, per amicitiam rogo, ne quis, ista tam inconsiderate, atque inconsulte effutientes, vos perduellionis reos, lege Cornelia, aut Apuleia, deferat Majestatis, neu vosmetipsos inducatis in eas captiones, quas nunquam explicetis. Rursus etiam, si Carolum, & qui in imperium usque ad nostra tempora successere, Imperatores fuisse conceditis, nulla ratione defendi queat vestros, fuisse Reges. Nihil enim tertium esse potest. Circumspicite quid agatis, utrumlibet attigeritis, ulcus erit; utrocumque convertamini vosmetipsos in præcipitem locum committitis; nullo enim pacto, & hos, & illos legitimos extitisse admitti potest. Si illos,

los, ideſt veſtros latrones, pugnatis fuiſſe Reges, cur Carolo, ob id maxime, quod illos, regno everſos ſpoliavit, domuit, necavit, regnum, atque imperium defertur? Si illi inquam juſti, & legitimi, qui Caroli juſta arma dici poſſunt? Quæſo vos, vultis ne etiam contra Imperatores, qui Carolo ſucceſſerunt, agere interdicto UNDE VI, ut Reges illi veſtri, aut eorum poſteri in majorum ſuorum regnum reſtituantur? Si illud legitimum regnum fuit, cur Imperatores noſtri ſancti, atque auguſti illorum regnum damnaverunt, non modo acta infirmantes, ac plane reſcindentes, ſed etiam omnes eorum leges, quarum nulla erat optimæ reipublicæ conſentanea, refigentes? ipſique tulerunt Legem, qua illæ omnes non antiquarentur modo, & paulatim ab uſu recederent, ſed etiam expreſſe abrogarentur, diſſolverenturque, utpote iniquæ, & pernicioſæ, per vim, libidinemque, contra omnia exempla, contra gentium, & ipſius naturæ jus latæ, provinciæque per ſcelus, & latrocinium impoſitæ, & cunctæ fere Italiæ inuſtæ, quibus nos, noſtraque omnia addicebamur barbaris, ac ſervis? non leges, ſed latrocinia, ſed injuriæ, & nefaria optimo cuique irrogata privilegia, quæ cum neque animi hominum, neque faſti ferre poſſent, noſtri Cæſares una rogatione abrogarunt, ac deleverunt? Si Regum veſtrorum leges, & acta defenditis, neceſſe eſt ſacroſanctas Imperatorum noſtrorum ſanctiones infirmetis, impugnetis, convellatis. Utræque ſimul nullo modo conſiſtere poſſunt. Eligite utras malitis ſtare, utrorum etiam Regum acta,

Rei-

Reipublicæ magis conducat esse sancta, atque integra. Scio, Patres, me injuriam facere tot magnis, clarisque Imperatoribus, quos cum illis pestibus comparo; quod facere coactus fui propter pervicaces, ne dicam, ignorantes, si forte istos tanto errore inflatos possem ad aliquam lucem, si minus ad frugem perducere. Sed qui malum, tandem, Papienses, isti fuerunt vestri Reges? jam intelligitis, Municipium vestrum non fuisse Regum domicilium, sed teterrimarum belluarum infame lustrum, non regiam, sed plane latrocinii aulam, seu potius haram, ejusque omnem regni memoriam e fastis vestris omnino tolli, ac deleri oportere, nisi Cæsarum legibus adversari vultis: sed quid ego ipse quoque dixi regni? cum, inquam, regnum non fuerit, sed magis superba, crudelisque barbarorum dominatio, aut potius Italiæ quædam calamitas, vel Dei Optimi Maximi in genus humanum ira, atque vindicta. Cum in Græcia Romanorum Imperatores rempublicam negligentius administrarent, anno a partu Virginis DLXVIII. Justino ejus nominis II. Imperatore gens Longobardorum, Ostrogotorumve immanissima, collecto ingenti latronum exercitu ab Oceano, & ex Pannonia movens, Albuino duce Romani imperii perpetuo hoste, in Italiam irrupit; quæ barbarorum immanitati facile patuit, quod illorum adventus subitus fuit, & improvisus, nec Italorum Civitates conspirare potuerunt conjunctis viribus, communicatisque consiliis, subito conflato exercitu, ut malo, periculoque communi occurrerent, quod abesset interim longe Romanorum Imperator Ita-

lia

lia barbarorum direptioni, atque incendiis relicta; potitique ideo sunt Longobardi hac opima, atque optima Italiæ parte, quod omnibus fere aliis Italiæ Municipiis, ac coloniis barbarorum irruptioni, prout cuique pro se copia erat, resistentibus, Ticinenses post paucorum dierum obsidionem se facile hostibus dedidere, projecta sua, Italiæ prodita libertate; quibus oportebat non tantum muros, sed etiam corpora sua opponere, ne se, & socios populos, totamque Italiam traderent in turpissimam servitutem, quam viri fortes, non tantum in maximis malis semper duxerunt, sed postremum omnium malorum, non modo bello, verum morte etiam repellendum. Quod quidem finitimis, cæterisque Civitatibus valde perniciosum fuit, quoniam barbari postea usi sunt eo receptu, tanquam arce, & propugnaculo ad expugnandas cæteras Italiæ munitiones, ipsamque Italiam in fædissimam servitutem redigendam. Intercepto mox suorum fraude per insidias Albuino, sufficitur in ejus locum ab exercitu latronum Clephis archipirata, qui omnem Italiam præter Romam, Tybur, & Cremonam, occupavit. Ei nemo, qui summam rerum unus administraret, successit; sed triginta duces, ad quos totus exercitus respiceret, creati fuerunt. Hi per decennium nullo Imperatore Italiam depopulati sunt. Tandem Eutharis ab exercitu Imperator dicitur, Eo dominante Cremona adhuc perstabat in fide cum Imperio Romano. Post illum Agilulphus Taurinorum Dux, Theodolindæ feminæ primariæ optione, & Ducum voluntate, summæ rerum præficitur. Primus hic nomen

nomen regium sibi arrogavit, & Papiæ Regiam constituit, sub quo Cremona triginta dierum obsidionem passa, vi tandem capta est, direpta, & pene solo æquata, tela omnia Papiensibus subministrantibus. Successere mox aliis alij ea durante calamitate, ac tempestate, compertumque est annalium memoria, eam immanissimam gentem circiter annos ducentos Italiam divexasse, devastasseque, & eorum Duces omnes hostes Imperii Romani, atque summis Pontificibus semper infestos fuisse, semperque fovisse illos, qui de religione, prava sentirent, præsertim qui essent ex Arrianorum hæresi. Tandem Carolus Gallorum Rex incredibili, ac divina virtute, magnis Italiæ luctibus, funeribusque subvenit, eamque liberavit a crudelissima servitute, compressa barbarie, capto, & interfecto Desiderio ultimo Longobardorum Imperatore. Victori, liberatorique habiti sunt tota Italia, finitimisque in provinciis honores prope divini. Ne vero de cætero propter Romanorum Imperatorum absentiam Italia direptionibus barbarorum, & incendiis indefensa relinqueretur, Romani Pontificis nutu, atque auctoritate, mira totius Italiæ ipsius, & omnium provinciarum, regnorum, & nationum consensione, ipse Carolus immanissimæ Gentis victor, Romanorum Imperator appellatus fuit, hac lege, ut diviso imperio, ipse, & ejus successores in Occidentali plaga regnarent, Græci vero in Orientali. Hæc mihi fuerunt altius repetenda, ut intelligeretis, Papienses, quod superius diximus, necessario fatendum esse, fuisse, inquam, injuria Imperium

perium divisum; neque Carolum Magnum justum, & legitimum Imperatorem dici potuisse, neque eos, qui ad hæc usque tempora ei successerunt jure institutos, si Reges fuisse comprobentur illi, qui vos in miseram, & turpem servitutem adduxerant, qui contra omnes divinas, atque humanas leges, religionesque regnarunt, quorum regnum, non modo ab ullo Romanorum Imperatore, ut opus est, comprobatum, aut a Pontifice Maximo laudatum, receptumve fuit, nisi per vim, verum etiam contra ipsum Romanum Imperium, contra omnes Pontificum Religiones, semper stetit, barbarique per latrocinia, & cædes, nullo instituto, nulla religione, nullo more, nullo exemplo tyrannidem crudelissimam adorti, hujus sacrosancti Imperii, & sacrorum perpetui hostes, prædonesque religionum, ad facinus, prędamque nati. Nullum jus tam sanctum, tam integrum, quod regnum vestrum illud non violarit, atque imminuerit, genus hominum ferum, tetrum, barbarum, inauditum, inusitatum, ex illa vetere, & fabulosa immanitate, si ulla apud vos foret annalium memoria, aut cura. Nisi plane nihil saperetis, nunquam in Regni illius mentionem præcipites ruissetis, nunquam rationes vestras tam infeliciter ad hos scopulos appulissetis; perhorruissetis illius nefariæ tempestatis miserias; reformidasset vobis animus renovare illorum temporum calamitates, quibus nullæ unquam in Italia majores fuere, cum immanissimi prædones bellum in tota provincia Diis, hominibusque indixissent, cum præclare Italiæ Urbes exhaurirentur, vasta-

ren-

rentur, urerentur; cum illi a sacrosanctis delubris sacrilegas, impiasque manus non abstinerent; cum nullum crudelitatis genus omitterent, cum non hominum modo, aut more, in victoria exultarent, cum provincias popularentur, vexarent; everterent, affligerent, Civitates vastarent, domos exinanirent, quicquid auri, quicquid argenti, stragulæ, ac pretiosæ vestis in Italiæ urbibus, sedibus, delubris fuit, abriperent, atque auferrent; cum delubra sanctissimis religionibus consecrata spoliarent, fana diriperent, omnia pulcherrima, & antiquissima signa, pictasque miro opere tabulas, & opera, quæ paulo magis affabre, atque antiquo artificio facta videbantur, non modo auferrent, verum etiam nullo compendio, aut usu; barbare perfringerent, fædarentque omnis humanitatis, atque elegantiæ hostes; barbare dixi, cum non occurreret mihi gravius vocabulum, quo libenter usus fuissem, vix hoc vulgari contentus; desunt enim mihi sæpe verba ad tantam immanitatem apposita. Nullum crudelitatis genus ab *illis* omissum fuit; tota ardebat Italia; oppida evertebantur; diripiebantur villæ; vastabantur agri; Matres familias, Virgines, pueri ingenui raptabantur. Quæ tempestas, Dii immortales! quæ flamma! quæ vastitas Italiæ! o vere spectaculum illud non modo hominibus, sed saxis ipsis, & scopulis luctuosum! quacumque ibant, omnia vastabant, omnia abripiebant, omnia cruentabant; ad prædam, facinusque, & crudelitatem nati. Nunquam Pœni tantum Italiæ malum, non dico jam intulerunt, sed optarunt, quantum illi fecerunt.

Poni.

Pònite vobis ante oculos, Patres, miseram fugam civium ex omnibus municipiis; tametsi omnia crudelitatis exempla animis vestris complexi fueritis, nihil, scio, adhuc dignum illa immanitate cogitare poteritis. Alios ante suos lares familiares truculentissimi prædones trucidabant; alii ejecti, eversique fortunis omnibus, vi tempestatum, & calamitatum concursu, miseram fugam suorum per solitudines comitabantur, lassitudine, morboque, ut inquit ille, exilio, inopia circumventi deprendebantur in speluncis, cavernisque, & sepulcris latitantes. Erat barbaris in cædendo nullum discrimen; nulla conditionis, nulla sexus, aut ætatis ratio habebatur; non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus parcebant; agri undique, fossæ, rivi, ac fluvii civium sanguinem exsorbebant; ubique formido, ubique luctus, ubique supremi gemitus morientium audiebantur; e parentum complexu parvulos abripiebant, ad necemque ducebant, & sub eorum oculis trucidabant; infelicissimas Matres pro sepultura liberorum, pretium deposcebant, quo persoluto, eas quoque nihilominus crudelissime obtruncabant; aliorum capita a cervicibus amputata, aut avulsa, palo præfixa circumgestabant; reliquum corpus in mare, aut flumina laceratum abijciebant; alios in crucem agebant; alii dispersis bustis, insepulti jacebant; cæteri semianimes, incuria, fame, vastitate, illuvieque consumpti optatissimam mortem expectabant. Hic optanda mihi esset ea in dicendo vis, ea copia, atque facultas, qua summi Poetæ, quales multos habet nostra Civitas, præditi sunt,

ut

ut hæc pro atrocitate rei, digne deflere possem? quove vobis, Patres, planum facerem quod hominum genus, si tamen illi homines judicandi, pro Regibus suis præ se jactitant Papienses. Saltem utinam adesset aliquis ex magnis illis nostris Oratoribus, quos domi reliquimus omni laude cumulatos, ex illis, inquam, quorum oratio aculeos habet, & nervos forenses. Subvenite igitur vos, Judices, meæ mediocritati, aut potius in dicendo tenuitati; providete, ne paupertas Orationis, nostræ caussæ noceat, neve nobis sit fraudi inopia verborum. Cogitate per vos ipsi, vestris animis, plusquam ego dicam, nullam crudelitatem majorem unquam fuisse post omnium annalium memoriam; statuite vobis ante oculos miseram, & flebilem speciem illam, vincula, verbera, equuleos, carnifices, tortoresque barbaros. Cæterum vos hic oratos volo, ut vestra bona venia liceat mihi de prædonum nefariis stupris nihil penitus dicere; illorum tetras, tragicasque, & in omni intemperantia effusas libidines commemorare mihi animus plane refugit, ad illarum memoriam totus perhorresco, natus in ea Civitate, ubi verecundiæ, ac pudori, qui ingenuos decet, semper locus fuit. Quæ modo, Judices, commemoravi, in bello facta fuerunt, atque in victoria, in qua immanissimæ belluæ exercuerunt suam insatiabilem crudelitatem immaniter, scelerate, nefarie.

In pace vero qualem fuisse creditis nefariorum latronum dominatum, nisi teterrimam, nisi crudelissimam tyrannidem? qualem putatis fuisse totius provinciæ trucidationem, afflicta, atque eversa

sa Italia? Quis, quæso, erit, qui pro rei magnitudine non dico verbis exæquare, sed animo complecti possit teterrima immanissimæ, ac spurcissimæ gentis furta, rapinas, crudelitatem, avaritiam, superbiam, scelus, tyrannidem inusitatam, inauditam; feros, ac barbaros mores, asperam eorum naturam, difficilem aditum, gravem vultum, superba responsa, insolentem vitam, crapulam, & vinolentiam, atque fastidium intolerandum? illis nulla Religio fuit sancta, nulla Lex integra, nullus existimationis pudor, nullius apud illos gravis authoritas, nullum exemplum, quod sequi vellent; omnia judicia in potestatem suam redegerant, omnia contra leges facere, omnia ex libidine, cuncta testamenta mortuorum, & jura vivorum evertere; omnia repagula juris, pudoris, officii perfringere; apud illos nullum forum, muta curia, omnia infirmata judicia; atque deleta; denique jus, & fas omne abolitum, & ab omni hominum consuetudine, atque memoria penitus evulsum. Inter feras erat satius ætatem degere, quam videre; & pati tantam illam immanitatem. Omnis nobilitas Provinciæ erat in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, omnibus Civibus ob oculos semper mors versabatur; majores vestri, qui soli erant barbaris cari, aderant testes flagitiorum, & omnium furtorum custodes; ex tota provincia veniebat ad vos prǫda; spolia totius Italiæ Papiam comportabantur receptricem furtorum, flagitiorum sociam, adjutricem scelerum; erat semper acervis cadaverum referta, & Italorum sanguine omnes ejus viæ redundabant.

In vestram Urbem erat perfugium omnium scelerum, & flagitiorum; ibi tormenta, & cruciatus insontium; ibi miserrimæ servitutis supplicia; credo equidem, adhuc parietes, postesque domorum vestrarum sanguine sociorum funestati vestigia retinent crudelitatis; solum totius Municipii, cruore Provinciæ adhuc pingue luxuriat. Fecerunt, ut prædones facere solent; nam quamvis illi sint communes hominum hostes, tamen aliquos deligunt, quos sibi unos amicos parent, quibusve non modo pareant, sed etiam cum eis furta communicent; plerumque tamen eos eligunt, qui, & oppidum opportuno loco habeant, quosve humili, atque illiberali quadam natura, dimissisque animis, omnia probra, ac dedecora ferre posse existimant ad servitutem natos. Nullum Municipium, nullam Coloniam, nullam Præfecturam invenire potuerunt, quorum incolæ magis moribus, & vita sui similes sibi visi fuerint, magisque ad sua flagitia appositi; nulla Civitas judicata est ab illis magis quam vestra, sua consuetudine digna; nulla æque ac vestra reperta est suæ crudelitati accommodata.

Hic, Papienses, si ego hanc caussam Oratorum modo agere vellem, possem facile partem omnium malorum, quæ barbari fecerunt in Italia, in majores vestros derivare, & omnia illorum scelerá vobiscum communicare. Qui enim fieri potest, ut Dominatoribus suis Papienses, qui tunc erant, non fuerint in eorum crudelitatibus percommodi adjutores, atque administri, aliqui etiam scelerum socii, atque participes? cum eis opus esset pare-

re,

re, & obsequi, ac quicquid latronibus collibuisset, facessere? erant enim ejusmodi, ut si quid non ad nutum suum, libidinemve factum esset a vobis, omnia in vos exempla, & cruciatus edidissent; quod a me dictum sit honoris Vestri caussa, ut interdum etiam Oratoris vestri partes agam. Itaque nisi meorum civium jussu, ac voluntate dignitati vestræ parcerem, ita hunc locum tractare possem, & vos Oratione exultans hoc modo plena manu urgere, & quatefacere, in majores vestros invectus. Vos, tota gemente Italia, barbaris pactione prædæ, empti emissarii, & administri eratis omnium crudelitatum; a vobis Cruces figebantur, tormentaque omnis generis a vobis sufficiebantur; vos, populata, afflicta, atque eversa provincia, perditis, profligatisque sociis prædam, & spolia cum latronibus partiebamini, cum quibus illi scelera, & latrocinia communicabant; vos prædonibus eratis in oculis propter prædæ, ac furtorum societatem; vos inusitata, inauditaque avaritia ardentes, ut major furtorum portio ad vos veniret, indicabatis Barbaris ubi occultarentur socii Italiæ populi mortem fugientes, eorumque latibula, funestam facem præferentes, illustrabatis; omnia miserorum sociorum loca noveratis; omnes eorum aditus tenebatis; vobis, venaticis veluti canibus, odorem sequentibus, prædam illi capiebant, quam ad vos deferrent; vos opima, atque optima sociorum, retrusa, atque abdita eruebatis, & effossa in lucem efferebatis. Proponite vobis ante oculos, Judices, detestabilium prædonum ora, vultum, incessum, spi-

 ritum,

ritum, importunitatem, fastidium, animisque vestris cogitate Papienses nostros, humanissimam gentem, barbaros tyrannos ad omne crudelitatis genus inflammantes, & in socios populos, in omnem provinciam, in totam Italiam instigantes, latronibusque adulantes, ac supparasitantes, quos ultro sibi Dominos imposuerant. Proh Divum, atque hominum fidem! Cœlum, & terram contestor, atque imploro! Ubi terrarum sumus? etiam apud vos; Patres, contra omnia vetustatis exempla, contra ipsius naturæ legem, pręmia scelerum, ac flagitiorum illi deposcunt, qui maximę perfidiæ pœna plectendi essent, oppugnatores patriæ, hostes Imperii Romani, & sociorum proditores? etiamne Mediolani? in urbe, inquam, Principe provinciæ Romanis Imperatoribus fidelissimæ, aliqui ornari vestris sententiis petunt, quod faveant eorum memoriæ, qui hostes Imperii publice judicati fuerunt, quam Imperatorum leges deletam omnino, obolitamque esse voluerunt? Ubi nunc, obsecro, mos ille, virtusque majorum? Petunt Papienses vel hoc maxime augeri dignitate, & Cremonensibus præferri, quod eorum majores consceleràti fuerint; quod cum Longobardis hostibus hujus Imperii se contra socios conjunxerint, consenserint, conjuraverint contra Italiam; cum latronibus prædam partiti, & cum eisdem provinciam deprædati fuerint, quod barbaris fuerint scelerum, & flagitiorum administri, latronibus excursores, & in crudelitatibus emissarii; quod cum Urbes fidelissimæ Romano Imperio, afflicta fortuna jacerent, ipsi communicatis cum ho-

ste

ſte flagitiis, ſoli nedum in provincia, ſed in tota Italia triumpharint; quod, cum hoſtes immaniſſimi cunctam Italiam laniarent, ipſi ſociorum ſanguinem ſitibundi lambere non deſierint, & nomen Romanum, quantum in ipſis fuit, ſuſtulerint, perſtiterintque ſemper fideliſſimi in hoſtium ſocietate, communicato etiam cum barbaris trucibus ſanguine per mutua connubia, donec Gens illa exitiales habuit exitus; ea propter ſe nobis dignitate anteferendos pugnant, vel ſaltem adæquandos, veluti, ſi lupæ, ac vulgaria ſcorta contenderent præferri Matronis vel hoc uno, quod ipſæ præ illis haberent pudicitiam in propatulo. Uſque adeo ne Papienſes leves, atque inconſiderantes vos oſtenditis? adeo ne abutimini patientia noſtra? aut potius tantorum Virorum, qui ſedent, lenitate? Ite nunc, & regni illius probroſi, ac deteſtandi mentionem facere audete. Videtis quantam labeculam vobis inſperſerit veſtrum iſtud Regnum cruentiſſimum; non ne, ſi Cremonenſibus ſuperiores eſſetis cæteris in rebus, ob id unum tamen vos illis longe inferiores judicari oporteret? Ex illo Civitas veſtra apud totam provinciam maxima ſemper deflagravit invidia, ſermoneſque hominum de vobis parum commodi ſemper fuerunt; Civitates ſociorum perditæ, atque everſæ, totaque vicinitas maximam partem ſuarum calamitatum vobis acceptam referunt; vos, non tantum adjutores ſcelerum, ac flagitiorum, ſed etiam auctores fuiſſe prædicant; vos hoc nomine, odio proſequuntur; omnes nomen Papienſe commune odium, labem, & probra illorum tem-

temporum execrantur; solum illud detestabile, ubi conditum est vestrum Municipium, non modo non habendum in pretio, quod fuerit Regum sedes, judicant, sed potius loci illius Genium multa religione placandum, sedemque illam crudelitate, ac stupris pollutam, majoribus victimis expiandam, delendaque omnia barbarorum vestigia, & monimenta comburenda censent. Quod, si facere potius animum induxissetis, quam latronum regnum, probrosum, & detestabile præ vobis tam inconsiderate jactare, & inde commendationem quærere, nunc essent fortasse meliore loco res vestræ, nec tamdiu egestate laboraretis, nec quocumque intenditis essent vobis res adversæ. Id vobis faciunt diræ imprecationes Manium illorum, quorum sanguine fora urbis vestræ, templa, & omnes viæ inundarunt; inde etiam tanta vobis cæcitas venit, ut quæ pro vobis sunt, quæve adversus vos faciunt (quod in maximis malis ducitur) non videatis, usque eo, ut quæ in hac caussa contra vos pugnant, pro vobis in medium afferatis, tanquam firmamentum, & robur totius Actionis vestræ, commendationemque honoris inde aucupamini, unde maxime vituperandi estis. Videte quanta sit inter nos controversia, atque dijudicatio! Si vobis, Papienses, res esset cum aliis adversariis, qui inimicissime, & infestissime agerent, eorum Orator optimis verbis caussam explicans, hanc partem libera Oratione ita tractasset, vos ita exercuisset, ita versasset, atque jactasset. Nostri vero Cives, quibus vos negotium exhibere nulla provocati injuria, haud veriti estis

quosve

quosve maluiftis vobis adverfarios, quam focios, & amicos, nolunt hoc modo in vos perorari, & quæ a me dicta funt, nullo pacto volunt ad vos pertinere, vel faltem in omnes convenire, veftræque dignitati omnino parcunt, ut in hoc ipfo fervent fuam. Sibi fatis effe exiftimant ad cauffam, vobis intactis, defcribere illos Reges, amores, delitiafque veftras, in quos omnem culpam rejiciunt, conferuntque, qualefve fuerint toti huic confeffui oftendere nituntur, cui plane rei jam a me pro facultate fatisfactum fuiffe arbitror, voloque ea, quæ de regno memoravi ad memoriam antiquitatis, non ad contumeliam Civitatis referri. Dum hæc, Patres, animo perhorrefcens memorarem, admonebar recentis beneficii Caroli V. Par enim Italiæ Calamitas, atque tempeftas proximis annis a Germania imminebat, in eademque fere mala, ac tempora recidiffemus (non enim puto dici poffe illis pejora) nifi tam præftantis Imperatoris divina, eximia, atque incredibilis virtus tetram crudelitatem barbarorum, nobifcum de tota fere religionis ratione diffentientium a jugulis noftris dimicatione capitis fui, vitæque periculo, ut heri innuimus, avertiffet, jugumque acerbiffimum fervitutis a cervicibus totius Italiæ repuliffet. Pro quo immortali beneficio hæc ætas, omnifque pofteritas, dum latinæ loquentur literæ, Carolo V. Romanorum Imperatori, fe fuaque omnia debere fatebitur. Ut intelligentia affequi valeatis, Judices, qualis fuerit illa barbarorum crudelitas, veftris animis cogitate, qualis totius Italiæ futurus erat ftatus (nos enim pro-

piora semper magis movent) si cedente Cæsare, superatisque nostris legionibus in Germania illi victores fuissent, qui fortunis nostris imminebant, suam cupiditatem religionis nomine velantes. Dii boni, dum hæc animo versarem, qui me perfudit horror! Credo itidem vobis omnibus usu venire. Superest tantum, ut vobis, Papienses, nubem, quam densissimam præ oculis gestatis, lumine Orationis meæ eripiam, vobisque ipsis breviter, tanquam in speculo ostendam, qualis sit omnis ista vestra ratio a regno illo profecta, quam perversa, quam præpostera. Neque tamen id vos, ut ego autumo, non intelligitis; sed usque eo, quid arguatis, non habetis usque ad insaniam, & impudentiam pertinaces.

Literarum monimentis proditum est, Cacum furem insignem Vulcani creditum filium, in iis locis, ubi postea Roma fuit condita, insedisse, & in Aventino monte speluncam habitasse furtorum, ac rapinarum receptricem, quod esset loci natura munita, & pene inaccessa. Cum igitur is maximo terrori esset omnibus late circum incolentibus, omnesque eum metuerent, caverent, atque vitarent, videbatur quodam modo in illa regione regnare, & in eo monte regiam suam constituisse. Non ne mentis parum sanæ esset, & ad agnatos deducendus judicaretur, si quis propterea eam urbis Romæ partem cæteris anteferret, Aventinumque desertissimam, & contemptissimam regionem nobilissimis, & celeberrimis collibus Tarpejo, Palatino, Quirinali, Exquiliis, cæterisque præferret, quod in eo fur ille, ut naturæ odium,

illo-

illorum temporum prodigium ab omnibus execrandus regnaverit, donec ab Hercule domitus, ac profligatus fuit? Non ne merito potius ſedem illam Romani uſque in hodiernum diem maxime oderunt, ac jure deteſtantur, Herculique ab incolis tanto metu liberatis habiti ſunt divini honores, cujus templa, ac delubra adhuc, mutata tamen Religionis ratione, viſuntur? Non ne Carolus ille cognomento Magnus, Dei beneficio illis temporibus natus, Hercules noſter fuit, qui tot veſtros Cacos repreſſit, domuit, profligavit, totamque hanc Italiæ partem tanto malo liberavit, & placatis rebus, cunctam Italiam quietam, ac ſecuram reddidit? Hoc eſt regnum veſtrum, Papienſes, quod elati, inflatique tantopere jactatis; illius exemplar, quibus potui coloribus, vobis expreſſi. Animadvertite, & voſmetipſi judicate, an illi fuerint Reges, quorum regnum Auguſtiſſimi Imperatores noſtri non tantum armis everterunt, verum etiam legibus in ære inciſis expreſſe damnatum abrogarunt, & eorum legibus iniquiſſimis refixis, actiſque omnino reſciſſis, oblivione ſempiterna deletum, perpetuoque Decreto ex omni hominum memoria, e faſtiſque ipſis evulſum eſse voluerunt. Interdum aliqui evertuntur Regno, quorum tamen regnum manet indemnatum, & eorum memoria reſtat incolumis; interdum vero, & Reges, & regnum ipſum pariter damnantur; leges tamen ab eis latæ, & ipſa acta, propter pacem firma permanent, ut de Lege Hieronica dicitur, quam Siculis Romani intactam reliquerunt, Hieronis regno abrogato; quod etiam dein-

deinde Romæ factum fuit post C. Cæsaris interitum restituta Republica, superioris temporis exemplo. Jam enim Lucius Flaccus Interrex tulerat legem de Sylla, ut omnia quæcumque ille fecisset, essent rata. Hic autem, & Reges, & Regnum, Legesque, & acta insuper, & nomen ipsum, omniaque Regni vestigia, una rogatione, damnata fuerunt, atque abolita. Nihil expressius, nihil illustrius expectari potest, aut desiderari. Siquidem consectarium semper fuit, & aliter esse non potest, & in ipsa quasi natura positum, atque infixum propter perpetuam, ac necessariam rationis legem, ut quorum acta, & leges abrogantur, damnetur etiam simul eorum dominatio, & regnum penitus deleatur. Jam sentire potestis quam debile, quam nullum sit talis regni, unde penitus a me dejecti estis, fundamentum, & nihil ad vos inde ornamenti pervenire posse, sed potius maximam ignominiam pervenisse, labemque vobis sempiternam inspersam fuisse constat, qui soli fuistis auctores, ut barbari tam tetri, non solum tota ferme Italia fuerint potiti, sed etiam ut in ea inveterascerent. Nimirum propter hanc unam Regni mentionem dignoscere possumus, vos esse barbarorum genus, quibus tam propensis studiis favetis, ac cupitis communicato illorum cum majoribus vestris per monstruosas propinquitates, & affinitates sanguine, & hinc aliquibus ex civibus vestris incompositos mores contractos fuisse, asperamque, & feram naturam, quæ eos efficit inhumanos, atque intractabiles, in hospites præsertim adolescentes studiorum

diorum caussa, apud vos peregrinantes, & in omnes magistratus, redditque finitimis omnibus, ac sociis Civitatibus invisos. Jubete, Judices, potius Papienses quotannis, stata die, locum rite, ac religiose expiare, omniaque monimenta ad illud nefarium regnum spectantia, quæ isti in sacrario scelerum condita habent, actutum comburi, detestandam, execrandamque illorum temporum memoriam a fastis, atque ab annalibus, si fieri potest, revelli, atque ut Imperatorum nostrorum sanctioni deferatur, nomen illud provinciæ ab illa barbarie deductum, quod jam vulgo inolevit, barbarum, illiteratum, immemorabile, penitus abolete. Augete potius commodis illas Civitates, quæ tot injurias, tot calamitates, ac clades accepere illis temporibus, omnia libenter perpessæ, ne ab Imperio Romano discederent. Et posthac Papienses regnum illud cruentum, probrosum, sceleratum, atque nefarium latrocinium, quo nihil unquam Sol vidit indignius, nobis objicere audebunt? aut nobiscum in contentionem amplitudinis, & principatus hoc nomine venire non verebuntur? & quisquam de cætero dubitabit, utra Civitas honore, ac dignitate sit præferenda? Nec vobis, Judices, dolebit, peracescetve, quod isti Ordinem vestrum tam nihil duxerint, ut cavillati, vos idoneos haberent, quibus ita laute os sublinerent, has tenebras cuderent, hos ludos facerent, ut confidentissimi sperarent dolis, ac fallaciis, vobis persuaderi posse, rem, quæ summam turpitudinem habet, esse maximo honore dignam? & vos eos esse Judices a quibus faci-

facile, per fabricas, & sycophantias sententiæ iniquissimæ extorqueri queant, improbi ad summam impudentiam? Ne quis vero suspicetur me, cum de isto scelerato, nefarioque regno verba facerem, barbarorum crudelitatem oratione exaggeraffe, omniaque eorum scelera vehementi, atque atroci dicendi ratione amplificaffe, hinc animadvertere potestis me cum adversariis remissius, quam res postulabat egisse, quod barbarorum multa tetre, ac crudeliter facta, quæ acriter verbis, & vociferationibus erant urgenda plane præterivi, ut de libidinum flagitiis, ac portentis, quas corporibus suis satiaffe minime ambigi possit, non dico Papienses, sed omnes populos, quos illi in miseram servitutem egerant, omnibus ignominiis appetitos, ut omnes intelligere possint, me non studio, sed officio potius Papiensibus adversari. Erant, erant, Judices, memoranda alia, quæ etiam nunc nos tangunt, & vehementer premunt, quorum, inquam, virus usque ad hæc tempora emanavit, longiusque in futurum emanabit. Ut enim cætera omittam, quam nunc censetis floreret Res Literaria; nisi illi Papiensium Reges omnia devastassent? quam amplo in statu essent omnes egregiæ artes, quam integræ, quam perfectæ, & expolitæ? Qualem ætatem haberemus hodie, cum præsertim tot ingeniorum præsidiis abundet?, quam florentem! quam felicem! Nihil sane desideraremus in illis artibus, quæ fuerunt nobis Græciæ disciplinis traditæ, & amplissimis monimentis consecratæ.

Siquidem illi omnis elegantiæ inimici cum humani-

manitati bellum indixissent, conspirarunt. una omnes communi odio in omnem politiam, inque omnem literaturam conjurarunt, ut eam stirpitus tollerent, ne una quidem litera in tota Europa inveniretur. Gotorum igitur, seu potius Getarum, quorum erant genus, immanitatem imitati, quicquid librorum ab illis relictum fuerat, nihil isti reliquum fecerunt, ne ullum omnino literarum, humanitatisque, quarum rerum ipsi penitus erant ignari, usquam extaret vestigium, ut Getæ ipsi, præ illis, si Scriptoribus credendum, in hoc genere immanitatis, fuerint abstinentissimi, usque adeo optimum quemque crudeli premebant servitute, malisque omnibus exercebant, ut nihil minus, quam de studiis bonarum artium, literisque cogitare possent. Tum quicumque codices, optimi præsertim, & lautissimi ad eorum manus devenissent, eos tamquam humanæ vitæ venena conscindebant, corrumpebantque, aut igni tradebant, ut omnia vastarent, omnia polluerent nihil pensi, nihil sancti habentes. Itaque sub illo infelicissimo Regno tot egregia monimenta temporum, locorum, hominum, rerumque gestarum interierunt; tot sapientissimorum hominum præcepta tam Græce, quam Latine literis mandata ad recte, beateque vivendum amisimus; tot ex illo, veterum annales hodie etiam desideramus; tot Libros de optima Religionis ratione, tot in Philosophia, in Medicina, in Mathematicis, in Juris civilis scientia, in Re Militari, in Architectura, in omnibus artibus, quæ ad civilem usum, & ad omnem humanitatem pertinent.

nent. Tunc literæ omnes, optimaque ſtudia ſiluerunt; tunc non modo Græci ſermonis, verum etiam Latini, ideſt noſtri conſuetudinem, uſumque amiſimus coacti a barbaris victoribus, linguam mutare, omnemque latinitatem exuti, barbaris vocibus aſſuefieri. Iſtæc, Judices, erant a me, non modo acri, ſed etiam incitata, atque vibranti Oratione peroranda; quod facile quivis vel mediocris Orator facere potuiſſet, rei ipſius atrocitate per ſe materiam, copiam, & vim ſuppeditante. De induſtria vero hunc locum omiſi hac quoque de cauſſa; ſi enim hanc partem Oratorum more, ac modo tractare voluiſſem metuebam, ne ob renovatam memoriam tantæ cladis, publicæque jacturæ, dolor, ac fletus, adeo me frangeret, atque infirmaret, ut mihi præcluderetur aditus ad reliqua peroranda. Quoties enim in hujus rei mentionem incido cum amicis, utquandoque ſolet fieri in ſermone familiari, non poſſum me continere, quin maximam lacrymarum vim profundam; quæ profecto lacrymæ nunquam vereor apud me areſcent, quibus etiam abſumptis, ſemper tamen infixus animo hærebit dolor. Videtis ex hac leni, & remiſſa admodum Oratione, qua vix rem leviter attigi, quantum fletus vocem meam debilitarit, incluſeritque; ſentio ego ipſe quantus mihi mentem impediat dolor; ſiquidem experior quotidie quanto fuerit damno, ac jacturæ hominum generi ea labes, illud incendium, aut potius diluvium, ſublata penitus bonorum librorum ſupellectile. Actum plane fuiſſet de Re Literaria, niſi Medicei Laurentii liberalitas,

litas, ac virtus tantæ cladi subvenisset; qui, capta, atque eversa a Turcis Græcia, quicquid optimorum Librorum in utraque lingua inveniri potuit, grandi pecunia a Victoribus mercatus in Italiam comportari procuravit, conquisitis etiam undique, & permagno sumptu in Italiam adductis multis nobilissimis Græcorum optimæ indolis adolescentulis, cum eorum Magistris, ut germana ejus linguæ consuetudo, ratioque Græcarum vocum enunciandarum in eis conservata ad nostros homines emanaret. Auxit mox paternum beneficium tanto parente dignus filius, illud præclarissimum omnis posteritatis lumen LEO DECIMUS PONTIFEX MAXIMUS, qui optimis artibus favens, ac cupiens, nihil prius habuit, quam toto Pontificatus sui tempore maximis præmiis optima ingenia elicere, & spectatissimum quemque liberalitate sua excitando in omni studiorum genere ad summam perfectionem, excellentiamque perducere, secuto etiam paulo post CLEMENTE SEPTIMO, qui a tanto Patruele, aque cæteris majoribus suis in hocce liberalitatis genere nihil degeneravit; quo factum est, ut quicquid literarum in tota Europa, totaque Asia Regnum illud Papensium reliquum fecerat, fatendum sit Italiam plane debere MEDIGEÆ GENTIS curæ, & liberalitati; neque Papienses tantum unquam prodesse potuisse rei literariæ ista, non sua, ut dixi, Academia, quantum Regno obfuerunt, ne tantopere posthac suum illud Regnum abrogatum, atque deletum præ se jactent, nihil nisi Reges loquentes, & Regias. Quanto sapientius Jones Græ-

ciæ

ciæ populi olim potentissimi? Eos capite, & inexpiabili religione sanxisse ferunt, ne quis Templa, atque opera publica a barbaris incensa, atque eversa instauraret, eaque in pristina loca reædificaret, ut semiusta, direpta, ac devastata, essent posteris monimentum barbarorum impietatis; ne quis de cætero sacrilegis tam nefariis crederet, seque eorum fidei committeret, sed eos omnino caverent omnes, defugerentque, & communi odio detestati prosequerentur. Isti vero Vobis præsentibus immanium prædonum Regnum celebrare student, atque ex barbarorum nefarie, ac scelerate factis commendationem, ac nobilitatem aucupantur, suumque hinc Municipium optimis, atque honestissimis Italiæ Civitatibus anteferre non verentur, quod in eo barbari regnarunt, patriæ, Italiæque, & omnis humanitatis perpetui hostes, qui humana specie, & figura tantum fuere, bestias autem immanitate facile vicerunt, semper in præda, & sanguine versati. Si cæteræ hujus oræ Civitates truculentissimas, atque immanissimas illas feras prosecutæ fuissent eisdem studiis, quibus isti libertatem suam tam facile projicientes, procul dubio sublata funditus omni humanitate, totius Italiæ rebus offusa esset nox sempiterna; id propter necesse est, dum erit hominum genus, non desint, qui Papiense nomen oderint, detestentur, atque execrentur. Et posthac Papienses in ludis publicis ob publicam lætitiam audebunt inauspicato inducere pro simulacro Urbis suæ effigiem mulieris mæstæ admodum, & dejecto ore consternatæ, cum corona in manu semifracta, at-
que

que imminuta quasi fortunam suam dolentes prostratam, atque afflictam, & Carolo Magno tantorum monstrorum domitori invidentes, & ægre ferentes insignem victoriam tantopere necessariam, quæ fuit universæ Italiæ non modo salutaris, verum etiam gloriosa? Nec vident cæci, ista tam infausta, plenaque stomachi specie se detrahere felicitati, ac majestati Cæsarum nostrorum, publicamque illorum ludorum lætitiam sua intempestiva mæstitia funestare, totaque spectacula incestare, & quodammodo detestari hoc Sacrosanctum Imperium, quod nunquam existere potuisset, nisi illa feralis, ac detestabilis meretricia mulierculæ infelicis corona, ipsius Caroli Magni virtute confracta esset, ac comminuta?

Hæc habui, Judices, fere dicere de tota Controversia, tum solidis rationibus firmata, tum claris monimentis Scriptorum testata, atque consignata, quæ tota Italia affirmaret si una voce loqueretur. Rem totam explicui argumentis, atque Oratione firmavi, usus testibus incorruptis; nihil a me dictum sine locuplete auctoritate; causaque defensa est tot exploratissimis rationibus, testimoniis, & argumentis, ut nemo de cætero ambigere possit Cremonam Papia rerum omnium præstantia longe excellere, utque hanc caussam oculis vos judicare possitis. Jam, ut videtis, Patres, adversarii tot testibus convicti, tot argumentis, obruti, oppressique, & undique circumclusi, nequeunt ora vestra intueri, aut os suum auditorum coronæ ostendere. Video eorum paulatim demitti contumaciam, relanguescere audaciam;

piget tandem eos, puto, incepti male consulti, pænitet temeritatis, & impudentiæ. Poteram equidem ego cum eis acrius agere, atque acerbius; sed usque mihi temperavi, nec in re minime dubia sum persecutus copiam, quam poteram, & adhibuit Oratio modum, molliusque, & remissius, quam merebatur, quæstio a me fuit pertractata, tenuique in dicendo semper illam moderationem, quam antequam huc ad dicendum venirem mihi proposueram, ut potius alieno sensui, quam meo deservirem, ut Civium meorum voluntati obtemperarem, homo bene appositus ad eorum lenitatem, dum graviter, pudenter, & moderate agunt cum adversariis. Quæ omitti nullo modo poterant, ea leviter attigi; multa præterivi silentio, eaque vestris ingeniis, vestræque conjecturæ commisi; ea præsertim, quæ Cives mei silenda duxerunt ad declinandam invidiam. Dixi tamen fortasse aliqua, quæ illi ne tangi quidem voluissent; sed ego ea nullo pacto prætereunda censui, ut potius dignitati meorum, quam voluntati deservirem, & ut aliquando etiam sensui meo indulgerem, ne isti modestiam nostram in conscientiam ducerent. Animadvertebam interim, Judices, cum mihi Oratione temperarem, deque industria, quæ acutius, contentiusve dici poterant, lenius, ac lentius agerem, quasi vos mihi nutu gratificari, eamque lenitatem, ac moderationem in optimam partem accipere, & quasi institutum meum probare, ac tacite vultu collaudare; quamvis contra intuerer vicinarum Civitatum, quæ Cremonensi nomini mirum in

mo-

modum favent, ac cupiunt, Legatos honestos viros, qui huc a Civibus suis frequentissimi missi sunt, ut nobis adessent, quasi moleste ferre, & quodammodo indignari, quod viderer eis quasi dissimulare, neque uti velle viribus, & in tanta pugna negligentius, quam res postularet, agere; usque eo videbatur eis mea Oratio quodammodo flacescere. Si qua tamen interdum apertius, ac significantius visus sum in Papienses dixisse, quæ mihi videbantur in eos percommode cadere, non tam in illos dicta volo, quam in eorum Majores exteros homines Longobardos contorta, in totamque illam barbarorum colluvionem.

Jam puto, Judices, intelligitis, honestissimam Civitatem indigne coactam fuisse contendere de principatu cum Municipio sine re, sine magna virtute, sine industria, sine auctoritate, atque existimatione. Omnia, quæ præclaram Civitatem efficere possunt, atque præstantem, collata invicem utrimque, me dicente, in contentionem venerunt, atque discrimen. Pugnavit res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione. Vidistis, omnia nobiscum facere; Antiquitatem Urbis, Nobilitatem Originis, Civium frequentiam, Censum, Divitias, Mores, Optimasque Leges, & Instituta majorum; Virtutem, Literas, Optimarum artium scientiam, Studia rei militaris, Splendorem, Ingenium, Humanitatem, Fidem, Gravitatem, Constantiam, Singularia, ac perpetua in rempublicam, atque in hoc Sacrosanctum Imperium merita; quibus rebus liquet, Cives nostros non me-

do Papienſibus non poſthabendos, verùm omnium rerum præſtantia excellentiores, cum eis minime eſſe exæquandos, quibus maxima ſemper domi dignitas, foris auctoritas fuit. Vos etiam, atque etiam obteſtor, atque imploro, Judices, qui æqui eſtis omnibus; quique, ut quiſque iniquiſſime, crudeliſſimeque oppugnatur, omnes, veſtra æquitate, atque juſtitia ſublevatis, ne patiamini nos de honoris noſtri gradu dejici; excluditote adverſariorum importunitatem; repellite eorum proruptam audaciam, arrogantiam, ac temeritatem, quos videtis ambitione ferri tam intolerabili; comprimite novam intemperantiam, ne longius emanet, atque in multos ſerpat, ne divina, atque omnia humana jura confundat; indignas, exitioſaſque huic Imperio contentiones extirpate, ſevere, graviter, ac priſce judicando, ut Papienſibus ob arrogantiam a veſtro ordine non tantum repulſis, ſed etiam ignominia notatis, omnes intelligant in hoc Sacroſancto Conſilio locum eſſe virtuti, juſtitiæ, æquitati; veterumque judiciorum vim, gravitatemque hic eſſe renovatam. Veſtræ ſapientiæ eſt, veſtræ æquitatis, ac dignitatis providere inpoſterum, ne in tota provincia hæ pernicioſæ contentiones, concurſationeſve, aut potius ſeditiones quotidie cooriantur. Hæc res pertinet ad imperium, ad majeſtatem, ad ſtatum hujus ditionis, ad civitatum, ac populorum quietem, & pacem.

Noſtra Civitas ſuſcepit hanc cauſſam, & in ea elaboravit, non tam ad laudem adipiſcendam, quam ad vitandam vituperationem, ne jus ſuum ma-

majorum nostrorum virtute comparatum, nobisque tanquam optimam hæreditatem relictum dissolute amittere videretur. Si in principem locum Papienses, audacia, quæ eis semper præsto est, nobis æquo animo ferentibus, dissimulantibusque, se intrusissent, nunquam veritus essem, ne vos vestra auctoritate, vestris sententiis inde deripiendos, nostrique honoris insignia nobis reddenda judicaretis. Conservate nobis dignitatem nostram. Discant adversarii vestra æquitate victi, vestris sententiis confixi non extollere se supra vires, atque fortunam; discant conditionem suam æquis animis ferre, neque de cætero audeant præstantissimam Civitatem in certamen honoris, & dignitatis contentionem provocare. Res adeo clara, & manifesta, oculis vestris subjecta, atque exposita est, ut nisi quis expectet, ut pro se ipsa, caussa vocem mittat, minime ambigere debeatis utri Civitati vestro judicio primas deferatis, si sentire volueritis, quod vestra æquitas, quod hujus Ordinis gravitas, quod tanti Imperii dignitas postulat. Videtis oculis vestris ex hac parte pudorem stare, ex illa impudentiam pugnare; hinc moderationem, illinc temeritatem; hinc verecundiam, illinc audaciam; hinc constantiam, illinc furorem; hinc honestatem, illinc levitatem, ne dicam turpitudinem; hinc optimarum artium scientiam, illinc inscitiam; hinc splendorem, nitoremque, illinc squalorem, & sordes; hinc humanitatem, illinc immanitatem; hinc copiam, illinc egestatem: atque jamdudum certare vidistis nobilitatem cum obscuritate, antiquitatem cum novitate, frequen-

tiam cum solitudine, diligentiam cum socordia, industriam cum ignavia, bonam rationem cum perdita, bonam fidem cum ea, quæ concidit, amplitudinem cum tenuitate, bonam spem cum summa rerum omnium desperatione; denique virtutes omnes, & summa omnia hic esse, illic vero vel nullas, vel non admodum multas, & eas quidem mediocres, infimaque, & abjecta jacere omnia; & dubitabitis utri prærogativam vestris sententiis adjudicetis? nec adversarios ignominiæ notabitis, quod ausi fuerint gravissimæ Civitati nulla caussa negotium facessere, & cum ea tam temerarie dimicando se conferre?

Nec apud vos debet adversariis nostris regnum illud detestandum, quod tantum præ se jactant, quicquam suffragari, cum barbari illi nullo pacto fuerint Reges, sed prædonum principes, & archipiratæ, quos regno nostri Imperatores armis everterunt, regnum damnarunt, acta infirmarunt, æra refixerunt, leges abrogarunt, omnia regni vestigia, nomenque, & omnem memoriam sustulerunt, evulserunt, deleverunt; quos Reges fuisse nemo contendere possit, quin idem quoque, ut luculenter probavimus, atque evicimus, neget esse reges Imperatores nostros augustissimos. Neque movere vos quicquam debet, quod apud eos Academia, Literarumque Gymnasium institutum fuerit beneficio Regulorum Mediolanensium, cum ab eis id factum fuerit, propter Metropolis, & totius provinciæ commoditatem, non propter illius Municipii dignitatem, neque ulla Papiensium caussa, nisi ad eorum inopiam, & egestatem sublevandam;

in-

inſcitiamque tollendam. Nec quicquam illis prodeſſe debent iſta neſcio quæ Diplomata inanium titulorum, ac dignitatum, quæ tantopere, tantaque admirabilitate prædicare ſolent, jam obſoleta, jam antiquata, & plane mortua. Erigite vos, Judices, veſtramque in judicando gravitatem, conſtantiam, auctoritatem retinete. Nihil animos veſtros impellere poſſint opes, aut potentia aliquorum hominum, qui occulte pro adverſariis nos oppugnant. Retinete veſtram in judiciis conſuetudinem, veſtram libertatem, integritatem, ſeveritatem. Quicquid eſt, quocumque mentes veſtræ inclinant, quocumque ratio, æquitas, atque juſtitia animos veſtros impellunt, intrepide judicetis. Utimini jure, & poteſtate, quam habetis, quæ tanta eſt, quanta ullis mortalibus in judiciis unquam gentium conceſſa fuit. Quicquid enim Cæſar poteſt in judicando, ad Vos translatum, vel ſaltem vobiſcum communicatum fuit. In eum locum deducta eſt res, ut jam libere, fortiter, ac priſca ſeveritate judicare ſit neceſſe. Tanta eſt expectatio hujus actionis, concurſuſque, & effuſio tantæ multitudinis, quam videtis, ut nulla judicii remiſſio, aut dilatio eſſe poſſit e Cæſaris dignitate, aut e tanti imperii Majeſtate. Ad hujus contentionis famam erexit ſe cuncta Italia, excitata ſunt omnia Municipia, omnes Coloniæ, omnes Præfecturæ, conveneruntque ad tantum ſpectaculum remotæ Nationes. Cavete, obſecro, per Deum immortalem, ne dum hujus, aut illius partis vos nimium manſuetos miſeret, ſeveritatis veſtræ, atque conſtantiæ famam, quæ toto terrarum orbe

pervagata est imminuatis. Per vos, & vestram fidem, virtutem, sapientiamque, oro, atque obtestor, consulite nomini, ac dignitati hujus sacrosancti loci. Memineritis hic adesse florem, ac nobilitatem totius Provinciæ; multos prudentes, ac sapientes viros huc convenisse, qui hanc quæstionem, juris civilis, ac multarum rerum scientia præditi recte judicare possent. Cogitate horum omnium animos in Vos ferri, eorum mentes, non minus quam oculos, in Vos conversas expectare sententiam hoc Ordine, hoc loco, hoc sacrosancto Imperio dignam. Res per se manifesta est, caussa pro se ipsa loquitur. Nec mihi venit in dubium vestra fides, aut constantia, ut fieri queat quin secundum nos & sentiatis, & judicetis. Non existimo Deum immortalem tam aversum esse a salute populi Gremonensis, ut desinat clarissimum lumen animis vestris, ac mentibus præferre, quo veritatem, quæ Oratione mea patefacta est, agnoscere, ac sequi valeatis. Quod vos statuetis, illud utrique Civitati sanctum esse oportebit. Si aliqua vis [quod detestabile omen longe avertat Deus] eorum, qui nobis occulte insidiantur, in animis vestris poterit; si quis casus (quem Dii omnes, hominesque prohibeant) gravis, & miserabilis evenerit, non solum Civitas nostra vestris sententiis oppressa mærebit perpetuo squalore, & sordibus, totaque confecta senio, sed etiam tanti doloris propinquæ Civitates, quarum legationes frequentissimas nobis adesse videtis, participes esse volent. Multi Gremonenses hic adsunt ad hoc munus mecum destinati; decre-

crevimus una omnes nunquam nisi e sententia re confecta, domum redire in patriam; sed ad barbaros, ac remotissimas nationes in perpetuum exilium demigrare, potiusque in solitudine cum feris vitam asperam degere, quam ad nostros in patriam tam malum nuntium afferre, quam videre totam Civitatem tam gravi accepto vulnere consternatam, æterno mærore confici, afflictarique, noctes, ac dies in deplorando jure suo, frustra consumere. Moriar potius, quam patriam in tam miseram, tam luctuosam fortunam dejectam aspiciam, conquerentem, commiserantemque, Cælum, ac Terram obtestantem se non potuisse obtinere jus suum; se, judicata, damnataque caussa, dignitate posthabitam contemptissimo Municipio; nihil sibi profuisse vetustiora, illustrioraque habuisse initia; quod fuerit Romani generis, ac seminis soboles, ac propago, cum adversarii a Gallis; aut a Liguribus nescio quibus, originem obscurissimam traxerint, eorumque Municipium sit adhuc incerti nominis; nihil sibi in tanto discrimine præsidio fuisse, quod semper Reipublicæ Populoque Romano, ejusque Imperatoribus fidem datam præstiterit, eamque sanctiorem, quam suam salutem semper duxerit; quod toties, ne a Romanorum imperio descisseret, maximas clades, ac calamitates acceperit, sæpius direpta, devastataque, afflicta, atque eversa, non nunquam etiam solo æquata; quod his etiam temporibus in difficultate nummaria, cum populis tributa extraordinaria, bellique subsidia imperantur, semper fuerit auctor, & princeps pollicendæ, persolvendæ-

que pecuniæ; nihil unquam antiquius habuerit quam Cæsari, atque huic Imperio, præ omnibus aliis provinciæ Civitatibus, cum bellum ingrueret, semper præsto esse, corporibus, opibus, copiis, nullumque subsidii genus omittere, quo Respublica defendi, aut juvari posset.

Quicumque vero sequatur casus, nunquam tamen civitatem nostram pænitebit benefactorum, nec desinet unquam de hoc Imperio bene sperare, a Diisque immortalibus semper optabit, præcabiturque votis nuncupatis, ut Carolus V. Romanorum Imperator orbe terrarum ubique incredibili, atque divina virtute pacato, late, longeque diffuso imperio, iisdem regionibus, ac terminis regnet, quibus Solis cursus continetur, atque ita potentissimum Turcarum Regem, cæterosque barbarorum Tyrannos sua virtute, consilio, felicitate fractos, profligatos, domitos superet, sicut nuperrime cum bellicosissimis Germanorum gentibus decertavit, & ad sanitatem reduxit. Nunquam nostra Civitas tam æqui, tam sancti Imperatoris voluntati tantum vulnus acceptum referet, cum ei nostra fides, nostra studia, nostra merita semper fuerint testatissima, semperque ille nos honoribus, & beneficiis complexus, multis, & magnis pignoribus urbem nostram obligarit. Vivat, vivat felix ille maximarum gentium victor, omnium sæculorum, omnis memoriæ facile princeps; ejus trophæis monimentisque nulla sit unquam finem allatura ætas; nulla ejus laudes, unquam obscuratura sit oblivio; nullus in toto orbe terrarum sit locus, qui non fuerit nobilitatus

tus ejus monimentis, plurimisque victoriis illustratus; eo superstite, ac sospite, ex cujus unius mortalis vita, tot mortalium spes, ac salus pendent, floreat, vigeatque Respublica. Sacrosanctum Imperium non terræ, sed cæli regionibus terminetur. Omnes gentes, omnes populi, omnes nationes uni sponte, libenterque obtemperantes in alta pace conquiescant, aureamque, & priscam ætatem pacatissimi, felicissimique degant omnes; soli Cremonenses perpetuo mæreant, squaleant, lugeant, quorum opera, quoad per eos fieri potuit, nunquam defuit, quin ea, quæ modo dixi tam prospera Reipublicæ evenirent; ii soli in squalore positi, ac sordibus, deserti, rejecti, contemptique jaceant; infra etiam mortuos, si fieri potest, amandentur. Videant Papienses, quorum nulla in Rempublicam extant merita, florentissimos in pretio, in honore, in deliciis, in oculis haberi, nobis etiam dominari. Deum tamen usque dolentes, flentesque, & hominum fidem contestabimur, nos in bona caussa oppressos fuisse, & caussam ipsam in animis multorum ubique gentium in perpetuum testatam, consignatamque faciemus; atque hæc omnia, quæ ego vobis Judicibus, & disceptatoribus coram dixi pro caussa memoriter, exscribi faciemus divisa in multa exemplaria, ut Cæsar ipse, ejusque Consiliarii præclarissimi, ac sapientissimi viri, atque omnes mortales saltem intelligere possint, qua justa de caussa, quo merito nostro oppressi doleamus; adibimus omnes Italiæ, & transalpinas Academias, & omnia Jusperitorum Collegia, eorumque sententias im-

implorabimus, non tamen quibus speremus vestras, vestrumque de nobis judicium rescindi, infirmarive posse, sed ut saltem nobis, posterisque nostris alicui solatio esse queant in tam, misera, indignaque fortuna. Sed quo me deduxit dolor, aut potius indignatio? Dii meliora! omenque omne detestabile, aut obruant, aut avertant potius in adversarios. Moveri sedibus suis urbs nostra potius optabit, atque in alias si fieri possit, terras demigrare, quam a Papiensi Municipio anteiri patiatur. Vidistis, Judices, dum hæc commemorarem, dum Oratio invita in ea tristitia versaretur, quam multorum, qui hic adsunt, vultus dejecti, consternatique jacerent, ut tota concio tanta indignitate permota vix lacrymas, vocemque, & etiam gemitus contineret. Ea vero conturbatio, atque animorum consternatio non tantum erat, quod plurimi Cremonensis nominis amici commiserati malis nostris permoverentur, nostrisque rebus studerent, ac cuperent, verum multos suus quoque tangebat dolor, cum in eorum animis tam iniquum judicium, tanta injuria, tam pravo, ac malo exemplo repræsentaretur; in quo sentiebant, nos quidem maxime, se vero proxime trucidatos. Sciunt plane omnes, sciunt quo honore sit digna civitas nostra tantis opibus firma, tam variis copiis locuples, ea gloria ampla. Norunt omnes quotquot hic adsunt, Papiensibus Cremonenses omnium rerum præstantia excellere; norunt Civitatem nostram virtutis, & fortunæ bonis ornatissimam, optimis moribus, legibus, & institutis temperatam, eo civium numero, ca-

am-

amplitudine præstantem, ut facile omnes alias hujus ditionis Civitates post Mediolanum anteire possit, ea autem modestia, facilitate, ac temperatione præditam, ut cum omnibus aliis quamvis infimis, se semper ultro exæquaverit, parque esse voluerit. Hinc fieri potuit, uti nostris civibus cuncta bona fide agentibus Papienses eorum facilitate abusi interdum sententiam priore loco dixerint, nunc tandem sentimus illos id versute, & malitiose fecisse, ut ad principem locum dolo malo obreperent cæteris Civitatibus indignantibus, nos ob beneficium nostrum plecti, & in ordinem redigi. Nolite obsecro, Judices, vestris sententiis spoliare ornamentis suis Civitatem ornatissimam, honestissimam Romanorum Coloniam, virtute, gloria, dignitate, existimatione amplissimam, omnibus rebus auctam, refertam, atque redundantem, pluribusque mortalibus caram, munitissimum Italiæ, & totius Imperii propugnaculum, rei frumentariæ certissimum subsidium, quæ prædita est ea disciplina, iis institutis, ut ipsis Athenis, si adhuc vigerent, par judicari posset, quam omnes propinquæ Civitates ornatam cupiunt, communique consensu missis legationibus laudant, quam cuncta Italia, populi, nationes, provinciæ, regna comprobant, cujus apud omnes gentes maximum fuit semper nomen, & grave; quæ Cæsari suam pecuniam in difficultate ærarii, semper promptam, expositamque habuit, præbuitque; eumque viris, armis, equis semper juvit, semperque communibus hostibus se opposuit, belli opportunum subsidium, quæ plures duces habet, quam Papia milites,

lites, longeque militari laude excellit, multis, ac magnis ingenii, atque fortunæ, præsidiis munitissima, quæ semper Imperatoribus nostris probata fuit, plurimis eorum beneficiis cohonestata, cui uni ex omnibus urbibus provinciæ, datur Prætor ex amplissimo vestro Ordine; quæ habet eos excellentes viros in Literis, qui apud omnes gentes semper habiti sunt sancti, ac dicti, quique Cæsaris res præclarissime gestas perpetuis literarum monimentis ornare possint; ubi vigent jus, æquitas, leges, religio, pietas, pudor, pudicitia, ubi in difficultate annonæ semper paratum præsidium; ubi literarum, multarumque, & optimarum artium domicilium; ubi humanitas, doctrina, fruges natæ esse videntur, ubi cuncta splendescunt, ubi summa sunt omnia, unde omnium rerum egregiarum exempla sumi possunt; demum quo Dii, & homines videantur congessisse omnia ornamenta. Vos, vos testor, atque appello clarissimi viri, qui ex hoc Ordine Cremonæ Prætores, olim dati in ea Civitate fuistis cum potestate, & imperio; nostis, me nihil mentiri, nihil oratione amplificare, nihil verbis exaggerare, sed potius verborum penuria cuncta fere extenuare, premere, atque affligere.

Ad te tandem, Gonzaga Ferdinande, tanquam ad anchoram confugio, ut in tua ope conquiescam, qui unus hujus ordinis, hujus judicii Præsidibus præsides, qui omnes mortales post Cæsarem, cujus auctoritatem, majestatemque in Italia repræsentas, longe antecellis potestate, tuam hic æquitatem, tuam justitiam, tuam virtutem imploramus; te ju-

judicio præsidente, nihil nobis metuendum existimamus. Sub te revivifcit feveritas, & legum obfervantia, juftitia, abftinentia, cohibeturque ad antiquorum Imperatorum laudem militaris licentia. Hic opus eft nobis tua feveritate, tua fortitudine, contra eorum hominum potentiam, qui cum nos tueri, atque amplificare deberent, nos, non aperte quidem, fed cuniculis occulte oppugnant, atque affligere conantur, tela adverfariis noftris fubminiftrantes, nominis Cremonenfis perpetui inimici propter virtutis invidiam, propter ingeniorum laudem, ac fortunarum noftrarum mediocritatem, quod eis refiftere cæpimus ne ulterius in bona noftra impetum facere poffint. Oramus te, nos in tuam accipias fidem, fortunarum noftrarum, ac rationum omnium confervator. Civitas noftra conquiefcit in tua virtute, atque conftantia, in tua juftitia, atque integritate, quarum omnium virtutum expreffam fpeciem, atque imaginem, jamdudum in oculis, & in animis omnium populorum in Italia fixifti.

In te omnis fpes noftra pofita eft, noftra Civitas cuncta fua ftudia, omnem operam, induftriam, cogitationem, in tua æquitate ftatuit, atque locavit. Hanc exiftimationis noftræ defenfionem, injuriæque a nobis propulfationem quodam jure noftro abs te exigimus. Hanc de Te fpem, & opinionem propinquitas Patriæ tuæ nobis fpondet. Semper Civitas noftra Mantuani nominis ftudiofa fuit. Fuerunt hæ ambæ Civitates, ut propinquitate foli, ita femper animorum ftudiis conjunctiffimæ. Gonzagarum vero præclariffimæ

mæ familiæ quantum Cremona fuerit ſemper addicta, atque aſtricta, nemo eſt, qui neſciat; quod tute ipſe jampridem ſentire potuiſti. Quoties Tu, liberique tui ad nos divertentes, Cremonam venitis, ſpes venire quædam, certaque fiducia videtur, ipſaque Civitas, cum te divina quadam gravitate præditum intuetur, Deum aliquem, aut certe maximum heroem hoſpitio ſe ſuſcepiſſe putat. Cuperet autem tota Urbs, ubi adventus tui primum nuncium accepit, e ſolo, ſedibuſque ſuis convelli poſſe, ut tibi obviam venire liceret, teque in ſua mænia ſuis humeris importare. Per Te, per dexteram tuam oro, ne tam gravi, ac periculoſo tempore defueris ei Civitati, quam tuis ſæpe laudibus ornaſti. Quicquid de nobis tu ſenſeris, quocumque mens tua inclinarit, in tuam ſententiam ii, qui tibi adſunt in conſilio, præclari viri libenter diſceſſionem facient. Illi quidem de jure antiquitatis, nobilitatis, originis inter utramque Civitatem judicare poſſent; tu vero, non tam doctrina, quam habitu naturæ prope divino, & maximarum rerum uſu longe melius de utriuſque meritis, utra Cæſari, atque huic Imperio magis utilis, atque opportuna ſemper fuerit, aut eſſe poſſit. Noſti utriuſque opes, virtutem, ſtudia, voluntatem, ut de aliis rebus ſileam, quæ ad tuendum hoc Imperium, propagandum, ac dilatandum ſunt neceſſariæ. Noſti, & re expertus es, an Papienſes ſe noſtris Civibus adæquare poſſint cum bellum ingruit, aut aliquod imminet periculum, utra Civitas majores, ac firmiores copias brevi temporis ſpatio conficiat.

ciat. Scis Cæsarem semper Cremonæ habere paratum exercitum, expeditos Duces, militumque Præfectos; martiam illam Juventutem, quæ Romani seminis naturam servat, tam in animis, quam in nervis, ad tenues belli rumores subito erigi; arma, sagum, bellum flagitare; quod egregie expertus es superiore anno in Placentiæ Urbis recuperatione. Scis ad tenuem rumorem illius occasionis totam Civitatem nostram sponte sua, nemine impellente, isse ad arma, decrevisse tumultum, viros, pueros, senes, tam nobiles, quam opifices, & servitia, nulla ætatis, aut conditionis excusatione, omnes, maximo equitum, ac peditum numero Placentiam maximo imbre, viaque deterrima convolasse. Primos Cremonenses nullo imperio, eam Urbem ingressos, omnes vias obsedisse, recentem arcem jam quasi perfectam cepisse, tamdiuque tenuisse, donec ipsa Civitas, quæ tota erat in armis, sublata ab optimatibus dominatione, se ultro potius Cæsari dedidit, quam Gallis, quorum potentia ob vicinitatem, huic Imperio valde eo tempore erat suspecta, ac formidolosa. Conserva dignitatem suam Civitati, cujus eximia belli scientia, singularis disciplina militaris; quam scis Cæsari, atque huic Imperio non opportunam modo, sed etiam necessariam. Ibi magnæ, ac firmæ Copiæ; ibi seminarium optimorum militum; ibi viri navi, industrii, experientissimi, quorum omnis impetus ad laudem; Ibi, ibi demum est robur, & soboles militum, quos nationes omnes, urbes, populi, Reges, Tetrarche, Tyranni probant. Constringe tibi, liberis-

que

que tuis perpetuo beneficio, præclaram Civitatem, quam honos, quam dignitas, quam opes, fortunæ, virtus, ſplendor, humanitas, fides, commendant. Conſerva illi exiſtimationem ſuam, te oramus, atque obteſtamur. Noli per liberos tuos exiſtimare eſſe quæſtionem de nugis. Non minus laborant Cives noſtri, de honore dimicantes, ac ſi hic agatur omnium Civium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, penates, jura, leges, bona fortunæ, vectigalia, domicilia, muri, ſepulcra majorum, templa, delubra Divorum immortalium, liberi, conjuges, fama, decus, gloria, Patria. Hæc omnia a Te nobis conſervata putabimus, ſi nos adverſus Papienſium temeritatem in noſtræ dignitatis gradu, aut retinueris, aut reſtitueris. DIXI.

F I N I S.

ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 8. lin. 2.	Palria	Patria
26. lin. 6.	mearum	meorum
62. lin. 5.	mendicitatis	mendicitati
64. lin. 26. 27.	biennis nondum debitum	biennii nondum debitam
65. lin. 10.	eontenti	contenti
97.	ACTIO I.	ACTIO II.
99. lin. 4.	mediusfidios	mediusfidius
123. lin. 2.	latibubis	latibulis
132. lin. 29.	Quod	Quot
133. lin. 3.	auctori .	auctori ?
147. lin. 10.	cooritus	cooritur
177. lin. 19.	id primam fuit	id primum fuit
187. lin. 15.	iter habent flumine.	iter habent flumine ?

Libri pretium L. 3.

